BIBLIOTECA NAZIONALE
DI
TORINO

Digitized by Google

Pe - n - 29

AZIONA

BIBLIOTECA NAZIONALE di TORINO
Pe.
n
29
Pedagogia

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R

FERRANTIS BORSETTI FERRANTI BOLANI

ADVERSUS SUPPLEMENTUM;
ET ANIMADVERSIONES

JACOBI GUARINI

CRITICI PERSONATI

IN HISTORIAM

ALMI FERRARIENSIS

GYMNASII, DEFENSIO.

VENETIIS, MDCCXLII.

APUD SIMONEM OCCHI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM.

JAmpridem audieram, Graculis quibuſdam id magnifice crocitantibus, extremum Hiſtoriæ Almi Ferrarienſis Gymnaſii a Cenſore ignoto exitium parari, ſtrenuamque Civium meorum cohortem (ſi eo tamen appellandi nomine, qui in Civem de Patria, pro modulo, benemerentem conſpirant) adminiſtras præbere manus, ſymbola conferre, armare ingenia; totuſque animo contremiſcebam, cum innoxium, nullique injurium Opus meum imperitum, exibilatum, laceratum, ac funditus everſum iri præviderem. Nunc vero ab expectatione hujuſmodi liberatus ſum; nuperrime enim, (quod fœlix, fauſtum, fortunatumque ſit) Criticus quidam, mentito Jacobi Guarini nomine perſonatus, Bononiæ typis Laurentii Martelli, grande Cenſorium Volumen ſex annorum ſpatio elaboratum, ac inſudatum, luce donavit. Pape! quæ ſtyli elegantia, quæ vis, quantus Criticæ furor! Nihil in miſella Hiſtoriola mea, quod Guarino nauſeam non moveat; omnia in ea ad argumentum minimè pertinentia, mendoſa, manca, ſupplenda, a veritatis ſcopo aberrantia, omnia denique ad inexorabilis Viri nutum corrigenda. Utinam vero Pædagogum hunc, Supplementorum, ac Animadverſionum Auctorem de facie noſcerem, ut grates maximas, pro ſibimet arrogato erudiendi ignorantiam meam labore, perſolverem? At ille, conducibilius, tutiuſque arbitratus eſt, nomen diſſimulare, meque in propatulo poſitum ex inſidiis aggredi, ab omni interim recriminationis periculo immunis. Quæ cum ita ſint, poſſem, abſque ulla, qualecumque ſit, nominis mei nota, hac in Litteraria contentione, oblatam a perſonato

Digitized by Google

homine pugnam detrectare; ſed cum apud multos ex eruditorum vulgo (nam & hi vulgus habent,) qui omnia in deterius interpretari ſolent, confeſſionis loco eccuſati ſilentium habeatur, operæ pretium duxi, ne cauſam meam deſeruiſſe viderer, cum larvis congredi, umbraſque diverberare. Audiat igitur Guarinus Cenſor, de erratis, ſi fieri poſſit, rationem aliquam redditurum. Quoniam verò, ex dicendis patebit, illum Hiſtoriam meam attente minus perlegiſſe, immo nec totam legiſſe quidem, id accuratius ut ex integro efficiat, *conſpicilla ſua*, mihi prorſus inutilia, ipſi vero valde neceſſaria, lubens remitto.

In plurimis me accuſat Guarinus; ſed cum major, potiorque objectorum copia ad tria generalia Capita, *Non pertinentium* ſcilicet, *Supplendorum*, ac *Vitiorum ſermonis* facile redigi poſſit, hæc primo diluere aggredior, ut deinde faciliori negotio ad ea, quæ ſupererunt, refellendum, juxta Criticæ ordinem, me convertam. Sit igitur

CA-

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De rebus ad Hiſtoriam Almi Ferrarienſis Gymnaſii non pertinentibus.

ME itaque Guarinus increpat, quod in Hiſtoriam meam digreſſiones nimias rerum, ad eam nihil pertinentium, invexerim. Reſponſionis loco, illuſtrium tam veterum, quam recentiorum Hiſtoricorum exempla in medium afferre poſſem, quorum Hiſtoriæ digreſſionibus ſunt refertæ; ſed nihil eorum præſidio opus habeo, cum (eſto etiam quod ab argumento frequenter digredi vitium eſſet) in illud velle me conſulto prolabi, in Operis Præfatione, apertiſſimè declaraverim: En verba: *Quoniam vero quædam annorum intercapedines occurrerunt, in quibus vel nihil memoratu dignum circa Academiam noſtram haberi poterat, vel eamdem ſilere oportuit, ut opus continuum quodammodo redderemus, ac Lectoris animos aliqua rerum varietate levaremus, Hiſtoriarum Patriæ noſtræ, ejuſdemque Principum* haud pauca *intexuimus, ita tamen ut omnia ad argumentum noſtrum collimare videantur.* Quod igitur me facturum ſpoponderam, præſtiti: Si Criticus verba hæc Præfationis, ut debuerat, legiſſet, in recenſendis minutè adeo, ac reprobandis Hiſtoriæ meæ digreſſionibus potiores ſuæ Criticæ nervos non conſumpſiſſet.

Cæterum, ut Cenſoris animum, erga Digreſſiones æquiorem reddam, auctoritatem Cl. V. Hieronymi Baruffaldi, cui plurimum, & merito, illum deferre, in toto Cenſuræ contextu, cognovi, ob oculos exhibebo: In Præfatione ad ſuam Ferrariæ Hiſtoriam Italico ſermone exaratam hæc habet laudatus Auctor: *Per allettare, e ſollecitare poi il tuo guſto* (lectorem alloquitur) *non ſono concorſo nella opinione di quelli, i quali condannano talmente le digreſſioni, che come deviamenti fantaſtici ſe ne aſtengono, e come indegne di aver luogo nelle Iſtorie vengono abborrite: m'ha dato ſtimolo a porvene l'autorità di Fabio Quintiliano Maeſtro incontraſtabile dell'Arte, e l'eſempio di tanti ottimi Storici antichi, e moderni. Vedrai però, che d'eſſe mi ſono talmente ſervito, che non già domineranno la Iſtoria, ma come ſuddite, e ſerve quelle ſaranno, le quali ſomminiſtreranno li paſſaggi, come difficili in una teſſitura di coſe così diſparate* o col lungo corſo della loro narrazione anderanno a riſultare a pro di queſto ſtato, per qualche ſebben minima coerenza. Ita Baruffaldi, cujus Sententiæ Guarinum ſubſcripturum minime dubito.

At

At pergit arguere, nec ſemel tantum larvatus Cenſor, quod in texendis celebriorum Virorum Elogiis, carminibus nonnullis uſus fuerim, vel laudatorum ipſorum, vel ab aliis eorumdem in laudem elucubratis, quæ tamen ut plurimum, ad illuſtrandam Ferrarienſis Gymnaſii Hiſtoriam minime pertineant, quæque alias apud Scriptores edita reperiantur; nec eo contentus Cenſor, quæ repudiatis carminibus ſint ſubroganda præſcribit; quinimmo progreditur etiam, *Criticæ ſuæ Part. 2. pag. 55.* ad exibilandum inſtitutum meum, *ſpecimen dandi ſtyli poetici Lectorum in facultatibus quibuſcumque, ac ſi Poetica facultas in quacumque alia Scientia ſit neceſſaria.*

Ad inania hujuſmodi ſatis, ſuperque foret reſpondere: Sic volui; quid ad te? Nihilominus ne id mihi licenter arrogaſſe videar, dicam, me veſtigiis inhæſiſſe Joannis Imperiali *Muſeo*, Franciſci Ariſi, *Cremona Litterata*, Pauli Giovio, *Elogii degli Uomini di Guerra*, Donati Calvi, *Scena Letteraria degli Scrittori Bergamaſchi*, & Laurentii Craſſo, *Storia dei Poeti Greci*, & *Elogii dei Letterati* (hos autem, aliis pluribus omiſſis, tantum indico, quoniam in curta Libraria mea ſupellectile ad manus habeo), qui omnes Virorum illuſtrium, de quibus ſcripſere, Elogia latinis carminibus, ſive italicis, pro opportunitate, ornare conſueverunt. Nihil verò intereſt, quod ex allatis a me carminibus pauca, vel nulla etiam ad Ferrarienſe Gymnaſium pertineant, nec ei lucis aliquid afferant; ſufficit enim ea in memoratorum laudem cedere, vel quia eorumdem fœtus ſint, vel quia in ipſorum commendationem ab aliis fuerint elaborata: minimeque negotium faceſſit, quod ex dictis carminibus aliqua, immo, dicamus, omnia, apud Scriptores cuſa habeantur; nullibi ſiquidem vetitum intellexi, quod res eadem a diverſis Auctoribus, ac etiam ab uno eodemque variis in operibus, vel locis edi poſſit.

Elegias itaque, Epigrammata, & his ſimilia in Elogiis adhibere, ne dum volui, ſed potui: integrum Guarino ſit, pro arbitratu agere, cum puriſſimam, ac nobiliſſimam de penu ſuo Reformatam Gymnaſii Ferrarienſis Hiſtoriam adornabit: illi quoque, per me, licet, poeticis omiſſis, Lectorum, aliorumque Litteratorum laudibus culmen imponere, ſpecimen aliquod uniuſcujuſque Inſtituto conveniens exhibendo: plaudent Eruditi omnes, ſi viderint, Theologi Moralis Elogia cum alicujus, ut dicunt, Caſus Conſcientiæ ſolutione, Juriſperiti cum Allegatione Forenſi, Medici cum Conſultatione medica, Mathematici cum explanatione alicujus ex Euclidis demonſtrationibus mirabiliter coronari. Ego autem in præclariorum hominum celebratione Poetarum carminibus uſus ſum, quamvis Laudati Muſis nunquam operam dederint; aliud eſt enim, credere,

Poeti-

Digitized by Google

Poeticam facultatem in quacumque alia ſcientia eſſe neceſſariam, quod nunquam credidi; aliud, Poeticis elucubrationibus Viros in aliis Facultatibus eximios, quamvis minime Poetas, laudare; quod volens, ac lubens feci, ac quoties uſu venerit, ſalvi Guarini gratia, me facturum promitto.

Vociferatur Criticus, nihil ad Publicam Studiorum Univerſitatem ſpectare Grammaticæ Scholas, admiſſionem PP. Societatis Jeſu, qui ex inſtituto litteras docent, privatas Academias, Penna, ac Clementinum Collegia, Archiepiſcopale Clericorum Seminarium, ac hujuſmodi alia: Id, abſolutè dictum, nego; omnia hæc etenim Ferrarienſi Gymnaſio utilia ſunt, quoniam adoleſcentes, juveneſque, dictis in locis ingenio perpoliti, aptiores ad ſcientias, ac facultates, quæ in eo traduntur, audiendas, percipiendaſque fiunt; quinimmo, ætate progrediente, ex iis plures in Lectorum numerum aſſumuntur; quapropter de Scholis, Academiis, ac Collegiis ſupra memoratis in Hiſtoria mea mentionem habere piaculum minime duxi.

In Præfatione ad Primam Hiſtoriæ meæ Partem promiſi, me Tertio Partis Secundæ Libro Appendicem additurum, in qua præclariſſima nonnullorum nomina recenſuiſſem, qui *vel in Ferrarienſi Lyceo formati ſunt*, *vel Ferrariæ diu*, *utpote in florentiſſima Litterarum Republica ſunt commorati*; & in Præfatione ad Appendicem prædictam, *pag.* 275. idem confirmavi; ſcilicet relaturum me pauciſſimos ex Scholaribus, qui in Univerſitate noſtra ſtuduerunt, *additis doctiſſimorum Virorum quibuſdam, qui Urbem noſtram diu incoluere &c.*, *quamvis ad ejuſdem Gymnaſium minimè pertinerent*. Quo ad Scholares, non habet Guarinus in quo me arguat; quo vero ad alios, interrogat, cur memoraverim? Quia volui: ſi eos inter Gymnaſii Lectores, vel inter Scholares nominaſſem, jure iraſceretur; ſed eos (pauciſſimi autem ſunt) recenſui tamquam, Litteratos, qui moram diu Ferrariæ habuerunt: falſa pro veris non venditavi; tamen nihil Guarinum moror, quin hoc etiam digreſſionibus accenſeat, quibus in enumerandis totam fere Algebram inſumpſit. Sed væ mihi! truculentis oculis, ferulaque dexteram armatus in me irruit Pædagogus, expoſtulatque, cur poſtremum Hiſtoriæ meæ Librum, Quintum ſcilicet Partis Secundæ, Architectis, Sculptoribus, Pictoribus, Muſicis, aliiſque id genus hominibus donare præſumpſerim? Vix eſt, inquit, hominum ineptiſſime, ut tibi Librum Quartum, in quo de Scriptoribus Ferrarienſibus, qui in Gymnaſio publico Lectores, nec fortaſſe Scholares fuere, memoriam inſtauras, condonaverim, & patiar, Quintum a te nominibus obſcuris adeo coinquinari? Sunt, nec ignorare potes, ſi Præfationem Primam

Cri-

Criticæ meæ legiſti, ſunt, inquam: *Nomina*, *&* *Perſonæ mercenariæ*, *ſervili*, *ac pediſſequæ conditionis: Architecti*, *Sculptores*, *Pictores*, *Miniatores*, *Scriptores*, *Muſici*, *Symphoniarchæ*, *Organiſtriæ*, *iique*, *qui ad numerum lyra*, *vel magna*, *vel parva*, *ac quocumque alio inſtrumento eminent*. Ignoſcat Præceptor, obſecro; crimen enim ingenue fateor: Credideram, memoratas artes viles minime reputari debere, immo non tantum ad *ſententias proxime accedere*, ſed in ſcientiis ipſis fundamenta habere, quapropter earumdem Profeſſores honore potius, quam contumeliis proſequendos eſſe cenſueram. Magis autem hac in ſententia confirmabar, eo quia ex iis plures, ob peculiarem in Artibus, quas profitebantur, excellentiam, a Principibus, Regibus, Imperatoribus, Summiſque Pontificibus in honore habitos, ac aureis torquibus, gemmis, equeſtrique dignitate fuiſſe donatos comperiſſem. At, ad Ferrarienſe Gymnaſium non pertinent. Utique; ſed quando nam, quo loco, ad illud pertinere dixi? Illis forſitan inter Lectores, Scholares, aut Scriptores ſubſellia aſſignavi? nonne poſtremo loco ſeorſim ſtatui, eoſque ab aliorum cætibus, peculiari etiam Indice, ſegregavi? Audivi profecto neminem, aſſerentem Publicas Gymnaſii noſtri Ædes ad Lectorum, Scholariumque uſu poſitas, contaminatas fuiſſe, ac deinde luſtratas, eo quod, novæ Picturæ, ac Architectonicæ Academiæ, in illis, ſtatio fuerit ad tempus permiſſa. Præterea, ſi de Architectis, aliiſque mentionem habui, ne mihi tantum Guarinus ſuccenſeat, ſed iis etiam, quorum ſum exempla imitatus: hoſque inter nomino laudatos aliàs Donatum Calvi, *Scena Letteraria degli Scrittori Bergamaſchi*, & Octavium Roſſi, *Elogj Iſtorici de' Breſciani illuſtri*, qui inſignibus hujuſmodi Artificibus locum dare citatis in operibus non erubuerunt. Ut quid igitur Pædagogus, in Apologo *ad pag.* 117. *& ſeqq. Partis* 2. *Criticæ ſuæ*, aurifluum eloquentiæ flumen producit? ne illum, lector, iterum, atque iterum deguſtare, ac mirari negligas, eſt enim ſtyli ſublimitate, ſententiarum copia, ac dignitate, poeticiſque aſſultibus pulcherrimus, & incomparabilis: Neſcio tamen; an Artificum prædictorum te vera Redemptorem, ut facis, aſſerere poſſis, quos hominum *mercenariæ*, *ſervilis*, *ac pediſſequæ conditionis* titulo decoraſti; Vereor potius, ne artium ſuarum inſtrumenta, quibus inſulſe eorum armaſti manus, in te convertant. Sed nugatum ſatis; ad aliam criminationem tranſeamus.

Et equidem in promptu eſt, reſpicitque Documenta, a me per extenſum allata, quæ Cenſor pati nequit, in Operis corpore, propriiſque locis fuiſſe diſpoſita, tamquam, ratione ſaltem locorum eorumdem, non pertinentia eſſent, ac incommoda; voluiſſet enim, illa, Summario-

rum

rum Legalium ad inſtar, ſeorſim ad Hiſtoriæ calcem emandari. Quanta bone Deus, garriendi libido, & hoc etiam objicit Larvatus mihi, nec erubeſcit; Quæſtionem, quæ adhuc apud Eruditos indeciſa pendet, cum tantulus ſit, in mei præjudicium judicare. Aſt a ſententia hujuſmodi utpote incompetenter lata gravatus provoco ad Hieronymum Roſſi, *Hiſtoria Ravennæ*, Carolum Sigonio, *de Regno Italiæ*, Eraſmos Gattola, *Hiſtoria Caſſinenſis*, Joannem Potteri, *Archelogia*, Franciſcum Ariſi, *Cremona Litterata*, Bernardinum Corio, *Hiſtoria di Milano*, Joannem Franciſcum Palladio Olivi, *Hiſtoria del Friuli*, Antonium Campo, *Hiſtoria di Cremona*, Hieronymum Pollini, *Hiſtoria Eccleſiaſtica delle Rivoluzioni di Inghilterra*, Ludovicum Vedriani, *Hiſtoria di Modena*, Ludovicum Antonium Muratori, *Antichità Eſtenſi*, alioſque plurimos, qui Principum Diplomata, Paparum Bulla, Inſtrumenta, Decreta, Epiſtolas, aliaque id genus documenta, quodlibet proprio loco, eorum in Operibus intexere ſatius duxerunt, quam ad calcem reſervare; & prudenter ſane, nam plus lectori incommoditatis affert, ad Voluminis finem recurrere, quam ea habere in ipſius corpore diſpoſita; poteſt enim, ſi velit, facile præterire, Hiſtoriæque lecturam continuare. Scriptorum ego prædictorum auctoritatem, ac exempla ſecutus ſum; nihil autem Cenſorem moror, quin contrarium ſentiat, dummodo tamen ſibi judicandi munus non uſurpet.

Huc ſpectat tandem cenſura, circa trium Collegiorum Statuta, Doctorum ſcilicet *Theologorum*, *Juriſtarum*, ac Artium, & Medicinæ, nec non circa ea Scholarium Artium, & Medicinæ; arguit enim me Guarinus, quod priora tria, quæ in prima Hiſtoriæ Parte, juxta temporis ordinem collocavi, non prout jacent, ſed in Epitomem redacta exhibuerim; dolet verò, quod ultima Scholarium nempe, a me ad Partis prædictæ finem amandata, & de verbo ad verbum ab originali MS. Codice tranſcripta triginta ſeptem Partis ejuſdem paginas ſibi vindicent. Oh, caput vere lepidum! hæc cauſat, quia longa ſunt, quamvis ad Operis calcem poſita; illa carpit, quia abbreviata. Rationem quærit, cur ita egerim? Dixi in Hiſtoria; hic tamen haud gravate repetam. Cum Statuta trium Collegiorum in uſu ſint, eorumque plures Codices inveniantur, immo cum Statuta Collegii Doctorum in Medicina, & Artibus typis impreſſa fuerint, ea in compendium, brevitatis gratia, dare volui; Statuta vero Scholarium, quæ jamdiu in deſuetudinem abiere, prout jacent, edidi, quia unicus eorum extabat, extatque MS. Codex, ne illo etiam deperdito, celebre hoc Univerſitatis noſtræ monumentum penitus interiret: Sunt longa equidem; ſed Statuentibus, non id mihi a Cenſore imputandum.

CAPUT SECUNDUM.

De ſupplendis in Hiſtoria Almi Ferrariæ Gymnaſii.

ALiud criminationis Caput eſt quod in *Hiſtoria*, præſertim vero *Parte* 2., ubi de ſtudii Lectoribus, aliiſque Viris memoratu dignis verba facio, plurima prætermiſerim, quæ ſtudio eidem, ac ſingularibus Perſonis ad illud pertinentibus ſplendoris multum, ac gloriæ fuiſſent allatura: Hæc opponit Criticus noſter, atque, *charitatis titulo*, ſupplementa ſua, quibus mutilum corpus reparetur, in lucem profert: Videamus ergo, quid, & quomodo ſuppleat. Ut plurimum quæ a me dicta ſunt, ac ſi fuiſſent de penu ſua deprompta, repetit, hiſtoriolas nihil ad rem facientes recitat aliquando; me arguit, quod tempus, quo Lectorum quilibet Lecturas exercuit, non deſignaverim; quod completura eorumdem Operum catalogum, vel non, vel inordinate ediderim; diem, annumque emortualem quorumdam ex memoratis Viris indicat, aliaque his ſimilia exequitur, ſupplendo, ut ſibi videtur ipſe, egregie omnia, in quibus me defeciſſe arbitratus eſt.

At Guarini ſupplementorum nihil indigeo, neque enim quidquam prætermiſi, quod ad illuſtrandum univerſam Ferrarienſis Gymnaſii Hiſtoriam poſſet conferre, ut patebit lectori, per eam diſcurrenti. Quo ad Perſonas, etiam in ea laudatas, in vanum ſupplementa ſua labore tanto, longoque adeo annorum diſpendio paravit Criticus. Hoc ſane vehementer doleo; ſed nimium illum aliena carpendi libido obcæcavit ita, ut legere minime potuerit, quod in Proluſione mea aliàs citata ſcripſeram, me ſcilicet, in Prima Hiſtoriæ Parte, *pauca tantum delibaturum aliquando, quæ ad ſingulares Doctorum quorumdam Perſonas pertinerent, & in Parte Secunda, me Lectores quotquot in Univerſitate noſtra docuiſſe, reperire fuit, Rectores, Reformatoreſque, additis præclariſſimis nonnullorum nominibus, qui vel in Ferranienſi Lyceo formati ſunt, vel Ferrariæ diu, utpote in florentiſſima Litterarum Republica ſunt commorati, recenſurum; celebriorum in Elogiis aliquantulum immorando, ac præclara ingenii monumenta, quæ ab eorum quolibet relicta ſunt, ſubnectendo*. Ex his intelligere potuiſſet Cenſor, me Acta omnia, ſeu Vitas, ut ajunt, Virorum, quorum mentionem habui, ſcribere noluiſſe, ſed tantum propoſuiſſe mihi *pauca delibare*. *Nomina recenſere*, *celebriorum in Elogiis aliquantulum immorari*, *eruditos ingeniorum fœtus*, non dixi, *omnes*, *referre*, uno verbo, de ipſis notionem aliquam præbere.

Digitized by Google

Hoc modo igitur cum me geſſerim, injuria iterum, atque iterum conqueritur Cenſor, me alienam quodammodo juriſdictionem turbaſſe, id mihi muneris arrogando, quod humeris meis longe impar agnoſcit, ac prædicat, ait enim, *Criticæ Part.* 2. *pag.* 115. Debuerat Borſettus hanc provinciam deſerere, vel illam diſertiori calamo, Scriptoriſque in hac pugna veterano commiſſam facere. Ne crucietur adeo Pædagogus noſter; quem innuit, probe teneo; memini enim legiſſe me in Libro, cui titulus: *Rime ſcelte dei Poeti Ferrareſi* Ferrariæ impreſſo per Hæredes Bernardini Pomatelli anno MDCCXIII. [editionis annum conſulto indico, moneoque, ne forte id vitio verteres, ut *in Prima Criticæ Part. pag.* 46., ſed perperam feciſti] me, inquam, legiſſe memini, citati Operis in proœmio, hæc verba. *Ed ecco pertanto riuſcita l'Opera, quale andavaſi ideando, e promovendo da tre valoroſi Soggetti della noſtra Patria: il Sig. Canonico Giulio Ceſare Grazzini, il Sig. Dottor Giuſeppe Lanzoni, e il Sig. Dottor Girolamo Baruffaldi, l'ultimo de' quali, come quegli, che ſi trova aver raccolta buona meſſe por la teſſitura ormai perfezionata della Biblioteca degli Scrittori Ferrareſi, ci ha ſomminiſtrata &c.* Hæc legeram, & ſervabam mente, hiſque adductus Bibliothecæ materiem intactam fere diſertiſſimo D. Baruffaldi ſtylo, *Scriptori* nempe, *veterano*, *in hac*, ut aſſeris, *pugna exercitato* reſervavi: Is non ſum, qui manus alienam in meſſem injicere ſoleam; abſit; immo meam, hoc eſt, Ferrarienſis Gymnaſii Hiſtoriam Cenſori, ſi velit cedo. Hanc ille, ea qua pollet *deſtruendi*, & evellendi, ædificandi facultate, ſubvertere, reformare, comere, ac Supplementis ſuis ditare, pro arbitrio, poterit; nihil gloriæ, quam eſt adepturus invideo; ejuſdem tamen aliquantulam in partem neceſſe eſt me venire patiatur, utpote qui omnium primus, arduum ſane opus ſuſceperim, ſummo labore, gravi impendio, aſſiduiſque vigiliis materiam congeſſerim, & quod omnium caput eſt, antiquos Gymnaſii Rotulos, in quibus Lectorum nomina deſcripta ſunt, a tenebris in lucem revocaverim.

Ad hoc Supplendorum Caput referri etiam poteſt mihi a Critico objectum, quo ad tempus durationis Lectorum in Cathedris, quod a me aſſignari debuiſſe ſcribit; ſed hoc quoque prorſus inane redditur a declaratione per me facta, in Præfatione *ad Partem* 2. *Hiſtoriæ*, ubi me dumtaxat indicaturum promiſi annum primum, quo Lectorum quilibet Rotulis eſt adſcriptus: ibi: *Quos vero in Rotulis habemus, ſub annis dumtaxat, quibus primum Rotulos ingreſſi ſunt, collocabimus, quamvis etiam ſequentibus fuerint adſcripti*. Sed bonus Cenſor hæc legere neglexit.

Digitized by Google

Præfationis ejuſdem lectione præmiſſa, ad me quoque corripiendum non properaſſet, quod, cum in memorandis Gymnaſii Lectoribus Chronologicum ordinem me obſervaturum ſpopondiſſem, illum tamen (reſpectu eorum, qui ante annum 1473. Lectores fuere) non ſervaverim; verbis enim Præfationis, ſupra allatis, hæc alia immediate præpoſui: *Cæterum, quod ad Lectores memorandos pertinet, qui ante annum 1473. in Lyceo noſtro profeſſi ſunt, cum præciſum tempus, quo Lecturas exercuerunt, plerumque ignoretur, illos ad Eſtenſium, ſub quibus reſpective docuere, Principatus conſignabimus.*

De Lectoribus vero, aliiſque pauciſſimis, juxta Guarini ſententiam, memoratu dignis, quas ego præteriiſſe arguor, in hoc ſupplendorum Capite agere non decrevi, opportunius etenim viſum eſt, objecti hujuſmodi dilutionem ad alteram præſentis Operis Partem amandare. Hic interea Guarinum hortari iterum pergo, ut ſuam, & ipſe, Ferrarienſis Gymnaſii Hiſtoriam ſcribat. In ea poterit, Danthis Aldigeri ad exemplum Litterarium, Paradiſum, Purgatorium, (liceat hoc verbo uti), & Infernum conſtituere, quoſque, ſibi videbitur, vel ad gloriam, vel ad ſupplicia pro lubito, deſtinare: Id ſi effecerit, me ad Tartara detrudendum certe opinor.

CAPUT TERTIUM.

De Sermonis Vitiis, quæ in Hiſtoria Ferrarienſis Gymnaſii reperiuntur.

IN 2. Criticæ Parte, *pag.* 116. hæc habet perſonatus Cenſor. *Nihil ſubdo de Sermonis Vitiis, ſi quæ ſunt; Statera in hoc loco indulgeat oculorum meorum lippitudini: præter quamquod, quos odit Jupiter, Pædagogos facit.* Mihi igitur vitia objicit Criticus, quæ fatetur ipſe, neſcire ſe, an patraverim: *Nihil ſubdo de Sermonis vitiis, ſi quæ ſunt?* Vide, indulgentem hominem; Nonne eum puduiſſe oportebat, inepte adeo in Hiſtoriam meam malignari, ut eos, qui non legiſſent, ſaltem in ſuſpicionem induceret, illam erroribus eſſe refertam? Cur autem, quæ blaterat, Sermonis vitia, ut decuerat non indicavit? forte quia, *conſpicillorum ſuorum* præſidio deſtitutus, lippitudini, ut ait, ſuæ parcere voluit? Verba prorſus, & pueriles nugæ? Dicam ego, cur objecta Sermonis vitia non indicaverit; quia nempe non invenit, quamvis attentiſſime perquiſierit: *Guarinum* profecto *Pædagogum fecit Jupiter*, nam quos venatus eſt in Hiſtoria mea, Ser-

monis

Digitized by Google

monis errores, ſingulos intrepide abiecit, idem de aliis facturus, ſi innotuiſſent. En autem vitia, quæ in tota Hiſtoria mea, Voluminibus duobus, nec exiguæ molis conſtante, ſagaciſſimus Venator invenit, & ad paginas infra indicatas retulit, videlicet.

	Errata.	*Criticæ Part.* I.	*Correctio.*
Pag. 33.	*jure merito*	pro	*jure, & merito*
	prætio	pro	*pretio*
	Seculi	pro	*Sæculi*
	Muretti	pro	*Mureti*
	admoverimus	pro	*admoneremus*
pag. 44.	*Terzaria*	pro	*Tertiario*

Parte vero Secunda.

pag. 26.	*Arabicam, Caldeaſque*	pro	*Arabicam, Caldeamque*
pag. 52.	*Foſſambrunenſis*	pro	*Foroſempronienſis*
pag. 53.	*Amirante*	pro	*Claſſis Præfecto*
pag. 68.	*Europæ*	pro	*Europa*
pag. 71.	*Carſinianæ*	pro	*Caſſeronianæ*

pag. 74. *in ultima*, inquit, *hujus paginæ linea deeſt verbum fuit.*

Hæc itaque *Sermonis* vitia, & alia fortaſſe pauciſſima, *ſi quæ ſunt*, mihi objicit Cenſor. Memet profecto beatum prædico, quem de his dumtaxat inſimulare potuerit: Minima, ut videt pondere, ac numero ſunt; hunc tamen a me extenuari etiam æquo animo ferat. Falſum eſt, non *jure merito*, ſed *jure, & merito* dici debere, ut videre poterit in Jacobi Facciolati *Calepino*, ſub verbo *Jus*, cum utroque modo uſurpari poſſit: *Admoverimus* ſcripſi ego, & bene, peſſime autem corrigit Criticus, verbum *admoneremus* ſubſtituendo, quod ſententiam meam immutaret; *Terzaria* dixi, terminum italice ſcribendo; illo vero *Tertiaria* ſeu *Tertiaria* in fœminino genere, abſque ſcrupulo, latine ſcribendo uteret, Scholarum uſum ſecutus: Hoc genere uſurpavit etiam Clemens VIII. Pont. Max. in Brevi, ſuper Studii rebus, ad Ferrarienſes dato die 14. Auguſti anni 1602., ubi, *Statuimus, & ordinamus, ut dicti Reformatores, in tribus* Tertiariis, *atque in qualibet earum* &c. Scit autem Guarinus, Pontificalium Brevium extenſores latinam linguam egregie callere: *Sæculum*, & *Seculum* abſque dyphtongo uſurpari, a Facciolati laudato diſcere poterit Cenſor, in

ver-

Digitized by Google

verbis *Sæculum*, & *Seculum*. Loco *Carſinianæ*, ut ſcripſi *Caſſeronianæ* ſcribendum eſſe vociferatur Pædagogus, ſed male, teſte Joanne Baptiſta Riccioli noſtro, in *Geographia*, *& Hydrographia reformata*, *lib. II. cui titulus*, *Onomaſticus*, *ſub litt. C.*, *ubi* = *Carſiniana in Thuſcia* = *Graſagnana*, *Carſagnana* = *Caſeronianum*, *in valle Carſiniana Thuſciæ* = *Carſignano*: Hoc oportet ſciat, diſcatque res accuratius expendere, antequam de illis cenſorium judicium proferat: Lepidula tandem eſt ejuſdem monitio, quod nempe in linea ultima Elogii Valentini Mandoli, a me exhibiti, *Hiſtoriæ Part.* 2. *pag.* 223., deſit verbum *fuit*: Conſulto omiſi, voluique illud ſubintelligi: Væ Tacito, ſi ipſius Annalium Libros percurriſſes; quot ipſi errores hujuſmodi aſcriberes!

Videt itaque Criticus, ut exigua hæc Erratorum ſumma ad nihilum fere redigatur: Quod reliquum eſt, poſſem Typographi incuriæ imputare; Sed mea ſint immania hujuſmodi *Sermonis vitia*: quid mirum tenuitatem meam, quam ipſemet nihil ad latine ſcribendum idoneam agnoſco, fateorque, in ea fuiſſe prolapſam? Miror ego, auſum Cenſorem de iis inſimulare, qui, dum aliena corrigit, pejori, fœdiorique labe ſe infectum oſtendit: Tot graviſſimis Linguæ erroribus, ineptiſque ſententiis ſcatet Critica ſua, ut, ſi quæ in ea emendationis indigent, notare, ac reformare vellem, opus Hiſtoria mea prolixius conſcriberem; nam quidquid eſt in Supplemento, ac Animadverſionibus ſuis, totum, *non duobus tantum malleis*, ſed centum, & ultra TUNDENDUM foret, ac RETUNDENDUM: neve id inaniter Guarinus jactatum putet, Commentariolum, ac Animadverſiunculas in minimam ejuſdem Criticæ partem hic adornare ſtatui, nonnullis tamen, circa hoc idem, ad Operis finem reſervatis. At quærit, quid illud ſit, quod ad trutinam voco? Non quod deterius, ſed quod melius eſt, Præfatiunculas nempe ad Primam, & Alteram Criticæ ſuæ Partem, quibus in conſtruendis, concinnandiſque, prout ſolet ſcriptorum quilibet, impenſiorem illum curam adhibuiſſe patet.

At, quid hoc rei eſt, Guarine, (te enim præſentem ſtatuo, alloquorque) quid eſt, quod Præfationem utramque Sacris Paſtoralibus inſigniis in fronte munitam aſpicio? Intelligo; parum tibi viſum eſt Larva contegi, niſi quoque te reciperes in Sacrarium: & cum puſillo adeo ſis animo, ut perſonatus etiam, in apertum prodire pertimeſcas, tam ſuperbo *Diagrammate* Cenſuræ tuæ initium conſpurcare potuiſti? Sine, me illud paulisper expendere: Equitem delineatum video, qui lancea Draconem ſauciat, Lavam ſub unguibus tenentem, ac in ſuperiori Iconis parte lego: *Sapientis eſt manifeſtare mentientem*: in inferiori vero, *Tamquam Bellator fortis ad illudendum ei*:

Scitu-

Digitized by Google

Scitule, per Jovem. Sed quædam explica, quæ abſque Oraculo, aſſequi non poſſum: Quæro primo, an *Sapiens mentientem manifeſtans*, qui idem eſt ac *Bellator mentienti illudens*, & *per Equitem* exprimitur, Larvam ſibi ipſi detraxerit, an vero Draconi; cum enim parva ſit, Bellatoris potius, quam magno Draconis capiti videtur parata? ſed audivi numquam, Dracones incedere perſonatos: Secundo, an *ſub Draconis ſauciati imagine* veniam intelligendus ego, qui nec tibi fortaſſe, nec alteri cuiquam, quod ſciam, moleſtiam intuli: Tertio tandem, an in *Equite Bellatore mentientem manifeſtante*, me, vel te potius ſubaudire æquum ſit; te nempe, qui faciem uſque, nomenque, ut ſecure noceas, mentiri non erubuiſti: At non opus, hæc a te quærere, cum manifeſte pateant; inſulſa inventio, inſulſa diſpoſitio, inſulſa omnia. Ne graveris, obſecro, quod *Diagramma* tuum ad examen vocaverim; cum etenim, & tu Œcumenici Ferrarienſis Concilii tabellam Hiſtoriæ meæ præfixam, & juxta deſcriptionem Ludovici Maimbourgh, prout patiebatur pagellæ anguſtia, diſpoſitam carpſeris, par pari rependo; in hoc tamen diſcrimen eſt, quod Iconis tuæ vitia tibi, meæ, *ſi quæ ſunt* Pictori, Inciſorique ſunt imputanda.

Sed me, ut ſoles, Guarine, arguis, quod a propoſito ſcopo diverterim, ac in viam revocas; tremens itaque pareo, ac promiſſum exſolvo.

In Jacobi Guarini Præfatiunculam ad Partem Primam Supplementi, & Animadverſionum ad Ferrarienſis Gymnaſii Hiſtoriam Commentariolum, & Animadverſiones.

Commentariolum, & Animadverſiones.

EOdem *prorſus pacto*: Abſolutè nego; Patruus meus, ut modeſtum, ac bene moratum Virum decet, M. Antonium Guarini ſupplevit, tu ſcripta mea inurbane, ac maligne carpis.

TEXTUS.

EOdem *profus pacto*, quo M. Antonium Guarinum, Sanguinis, licet remoto vinculo, mihi conjunctum, anteacto ſæculo ſupplevit Andreas Borſettus Patruus tuus, ſupplebo *ego tui amicus*, ſcripta tua (Ferrantes prælibatiſſime)

Eodem

Digitized by Google

Eodem prorſus pacto: Vide, ut bene procedat paritas: Quemadmodum Andreas Borſetti verus ſupplevit Hiſtoriam veri M. Antonii Guarini, ita ego falſus, mentituſque Jacobus Guarini ſupplebo Hiſtoriam Ferrantis Borſetti veri.

Ego tui amicus: An ſis, niſi te prodas, neſcio; cæterum ſcripta in me tua contrarium ſuadent.

Ille Eccleſiaſticam &c. M. Antonium Guarini *Eccleſiaſticam Ferrariæ Hiſtoriam* nec ſcripſit, nec ſcribere voluit, ſed tantum *Hiſtoriam*, immò *Compendium Hiſtoricum Eccleſiarum* Ferrariæ, multum enim differt argumentum particulare Hiſtoriæ Eccleſiarum Ferrariæ ab univerſali Hiſtoriæ Ferrariæ; nam hæc omnia ad Ferrarienſem Eccleſiam pertinentia complecti debet, præſertim vero Epiſcoporum Acta, quæ a Guarini prædicto non memorantur, quoniam credidit, ſatis eſſe, in laudato *Eccleſiarum Opere*, dictorum Epiſcoporum nomina tantumodo recenſere.

Gymnaſticam a te conſcriptam abſolvam: multum de te ipſo, Larvate, confidis; agnoſcet lector, an dictis facta reſpondeant.

Gymnaſticam: De hoc verbo in Commentariolo Præfationis 2. ſermo erit.

Ille Eccleſiaſticam Ferrariæ Hiſtoriam Guarini ſupplendo complevit, *Ego ejuſdem Civitatis Gymnaſticam* a te conſcriptam abſolvam.

Vel tua ſaltem tempeſtate. Hoc adverbio *ſaltem*, ſententiæ tuæ robur addere credidiſti, ut puto,

Ille, quæ in antiquo Scriptore deſiderabuntur, vel illo jam demortuo evenere: *Ego quæ ante te*,

ſed

Digitized by Google

ſed minuiſti potius: Non, *ſaltem*, *immo*, dicere debueras.

vel tua ſaltem tempeſtate acciderunt (quæque tu, *neſcio qua mentis oblivione omiſiſti*) *adhibebo*.

Neſcio qua mentis oblivione: numquam antehac audivi, plura reperiri oblivionis genera.

Ego, *quæ ante te &c. adhibebo*: ſintaxis optima.

Ornabunt: Credo equidem; ut lapilli, & margaritæ: nihil ex ore, aut Calamo tuo ſtillat, quod non melleum, eruditiſſimum, doctiſſimum, latiniſſimum, pretioſum, aureum, mirandum, divinum, & ſi qui ultra.

Gratum mihi te futurum: Nempe quod in maximæ gloriæ tuæ partem me vocaveris.

Quin pergratum etiam &c. Iis etiam, qui mortui ſunt? Sed cuinam epiſtolam inſcribere debent, cum ignotus ſis, ſi tibi ab æternitatis regione grates, pro ampliſſimo hujuſmodi beneficio, reddere velint?

Luculentiorem: *Lutulentiorem* dixiſſes verius.

Ornabunt, puto, quæ ſcripturus ſum ea, quæ tu ſcripſiſti, tuamque Hiſtoriam *luculentiorem* facient: de quibus gratum mihi te futurum fore putabo, *quin pergratum* etiam me futurum eſſe ſperabo illis quibuſcumque viris, quorum apud te nulla, vel valde exigua memoria eſt.

Sed age: Imperandi modus; en, in judicium cogor, totiſque artubus contremiſco.

Cur quæſo, *tantarum &c.* Quanta, ac qualia ſint, quæ omiſi, quot illuſtres Viri, quos præterivi, aliis in locis videbimur.

Sed age. Cur quæſo, tantarum rerum, totque illuſtrium Virorum, qui Ferrarienſe Gymnaſium illuſtrarunt, mentionem intermiſiſti, nec tantummodo antiquorum, ſed hac noſtra ætate in dignitate viventium?

Ferrarienſium rerum moderator: Non ſum, nec id mihi muneris arrogavi umquam; noſco enim mei infirmi quid valeant humeri.

An tabulæ defuerunt tibi, an Archiva? non ergo *Ferrarienſium rerum moderator es*? non Archivi præfectus? Tu omni *Ferrarienſi*

Digitized by Google

Ferrarienſi Doctrina : Quænam ſit hæc Ferrarienſis doctrina penitus ignoro; me doceas, rogo: *Doctrina Ferrarienſis*, & *Doctrina Ferrarienſium rerum* apud me idem non ſonat.

doctrina imbutus, omnia ſapientis agis, & quæ in obſcuro latent, ſuſcitantur abs te, ut in lucem prodeant.

Debueras igitur &c. De omnibus? etiam de Manuſcriptis, quæ a te, vel ab aliis ſervari dicis? numquid ego Profeta?

Mantiſſa: Italice *giunta*, eſt additamentum rei quæ venditur, & ut plurimum deterius eſt: Si hoc ſenſu, ut debes, vocem intelligis, approbo.

Scriptum faciam, pro = *ſcribam*.

Debueras igitur quorumcumque, de quibus ego in hac *mantiſſa ſcriptum faciam*, plenam ſcientiam habere;

A protocollis publicis emunxi: Ego vero callui numquam mulgendi artem.

Adeo ut ipſamet ſe tibi facile &c. Quia nempe *protocolla* emunctione aſſidua cicuraveras adeo, ut ultro ad mulctram accederent.

Adeo ut poterant: Elegantiſſime.

Ego enim hæc eadem omnia *a protocollis publicis emunxi*, *adeo ut ipſamet ſe tibi facile offerre poterant*.

Aciem Oculorum &c. Hunc dicendi modum ſemel a me uſurpatum, hic, Guarine, aliiſque Criticæ locis, tacite me ſugillando, adhibes; ſed vide, ne te potius exibilandum præbeas, ignorando, *oculorum aciem* eorumdem acumen ſignificare.

Non omnia poſſumus omnes: Veriſſimum; *ſed ingenue*, *& tempeſtive fateor*, me id dixiſſe, ut aſſeris, non recordari.

Nec ea tu ignorare debebas: ſed *aciem oculorum tuorum effugerunt*, inquis enim: *non omnia poſſumus omnes*. Quod quidem *ingenue*, *ſed intempeſtive fateris*.

Profudiſtis inveſtigationes ætate diſtantes. Quid, intricata hujuſ-

Nam qui de tui parſimonia conquerebantur, te in Operis decurſu

modi

Digitized by Google

modi dicendi formula dicere voluеris clare non aſſequor; puto, voluiſſe te aſſerere, tempus profudiſſe me, inveſtigandis notionibus rerum antiquarum.

Nihilo. *Nihili* uſitatius.

Laudationes, *præconia*, *commendationes*: Hæc, ni fallor, ſynonima ſunt.

Nomina, *& perſonas &c.* Urbaniſſime dictum.

Eminere ad numerum lyra: Phraſis egregia.

Diminuti ponderis: Me *abbundare ais*, eademque fere in linea, me *diminuti ponderis* eſſe; quis te intelligat?

Præfigere locum finiendi, pro *finire*; modus dicendi nobilis:

nimium, & pene prodigum ſenſere: *profudiſti* enim *inveſtigationes* quamplurimas undequaque dumis ſeptas, atque *ætate diſtantes*, *ſed nihilo* pro eo, quod inſtituiſti pendendas.

Præterea *laudationes*, *præconia*, *commendationes*, titulos, elogia graviſſima, ornatiſſima, & fucata profudiſti: Notiones ad rem tuam non facientes, opuſque tuum ad turgeſcentiam uſque perducentes intrudere ſatagiſti:

Nomina, *& perſonas mercenariæ ſervilis*, *ac pediſſequæ conditionis*: *Architectos*, *Sculptores*, Pictores, Miniatores, Scriptores, Muſicos, Symphoniarcas, Organiſtrias, eoſque qui *ad numerum lyra*, vel magna, vel parva, ac quocumque alio inſtrumento *eminent*, in catalogum uſque, & quidem ingentis numeri, perduxiſti. Quid lecytho cum ſtrophio? quid ſpeculo cum gladio?

Quid ad rem noſtram faciunt? Quid ad Ferrarienſe Gymnaſium tot extranei, Ferrariam tamquam canes ad Nylum permeantes? Ecce, Borſette ſpectatiſſime, ecce id, quo *abbundaſti*: ecce id, in quo *diminuti ponderis* te revelaſti, reſecando utilia, ubi ubertatis opus erat, atque inutilia ad tui libitum ſurrogando, ubi *finiendi locus fuerat præfigendus*: immo & damnoſa nonnulla ſuperſerendo, quæ Gymnaſii famam imminuunt potius quam amplificent.

Digitized by Google

In mentem habui: In mente habere frequentius, & *in mentem venire* uſu eſt; primum enim ſtatus in loco, ſecundum motus ad locum vice habetur.

Ut deſtruam &c. Salve igitur, Guarine venerande, hoc ſæculo noſtro Litteratorum prævaricantium Jeremias.

Sartam tectam reſtituam: Thraſonice, polipercontice, pirgopolynicice.

Hoc pacto duo, & quidem magnæ molis Volumina conſtruxiſti, dum ea, quæ pro uno vix complendo ſatis erant, in infinitam pene currente rota, protrahere ſtuduiſti. Quapropter, ut Hiſtoriæ tuæ, tibique morem geram, nihil antiquius *in mentem habui*, quam ad illam laudabilius extruendam, periti cultoris vices gerere, *ut deſtruam, & evellam, ædificem, & plantem*; atque ita rem tantæ utilitatis pro communi Patria *ſartam tectam reſtituam*.

Verba mea tamquam ab ore tuo &c. Hoc a me abſit; agnoſco enim, quantum interſit inter barbariem meam, & elegantiam tuam.

Perlege igitur, o Scriptor optime, & *mea verba, tamquam ab ore tuo provenientia reputare ne dedigneris*.

Lippitudine laboraſti: Lippitudo lacrimantium oculorum eſt; ideoque qui ea laborant, conſpicillorum non indigent, niſi hebetioris viſus ſint.

Conſpicilia: *Conſpicilla* dicerem.

Non plana, ſed ſenilia: Hic te Optices quoque gnarum oſtendis.

Quæ tu facere debueras ſuppleo, vel ad ea videnda, pro quibus *lippitudine laboraſti*, *conſpicilia* naſo tuo adapto, *non quidem plana, ſed ſenilia*, ut facilius hoc pacto omiſſa invenias, & res, quas pro nihilo habuiſti in pretio habeas.

Nonne ergo tibi rem gratam &c. Melius profecto, ſi res tuas curares, quæ, dum aliena curas, in præceps prolabuntur.

Dic mihi, quæſo, amabo te: quanti nunc veneunt duo hæc tua Volumina? Quantiplurimi, & quidem merito. Impoſterum (hac addita *mantiſſa* pro corollario) maximi venundabuntur: *Nonne ergo tibi rem gratam facio, quod res tuas curo*.

Novum erit penſum &c. Novum quoque *Apologiam* meam compa-

Novum dehinc erit Bibliothecarum penſum, ut, abſque meis

rare,

Digitized by Google

rare, qua *vindiciarum* tuarum vanitas oſtendetur.

Penſum: Hoc verbum male ſignificat ſententiam tuam.

Quæritabunt &c. Oh mirandum humilitatis exemplum!

Per Italiæ ora: Os oris = *bocca* = in accuſativo plurali habet *ora: ora oræ* ſpiaggia = in accuſativo plurali habet *oras*: Hæc neſciens, Guarine mi chariſſime, aliis latini ſermonis vitia audes objectare.

Abſque hoc Syrmate. Quid hic intelligas, neſcio; *Syrma* eſt enim longæ veſtis genus quoddam humum verrentis: Metonymice *Syrma* accipitur etiam pro Tragœdia, & pro ſtylo Tragico: Ita Facciolati, qui has duas tantum ei tribuit ſignificationes, quarum neutra tuo *Syrmati* convenit.

Arbitro pro *arbitror* minus uſitatum ſcribit Facciolati, ſupra laudatus.

vindiciis, opus tuum incompletum cenſeatur.

Quæritabunt Bibliopolæ, & Bibliothecarii hoc meum ſupplementum, eritque pro honoris, & integritatis nota, in cathalogis; qui *per Italiæ ora, & ultra mentes* circumferuntur, ſi legatur: = *Borſetti de Ferrarienſi Gymnaſio, cum ſupplemento Guarini*.

Abſque hoc *Syrmate*, parvipendendum, rejiciendumque potius, ac pro mutilo, informique libro opus tuum *arbitrabunt*. Vale.

In Jacobi Guarini Præfatiunculam Secundam, Parti Secundæ Ejuſdem Supplementi, ac Animadverſionum præpoſitam.

QUemadmodum &c. Hic diſco, tempus *hyemale* vocari poſſe, ante hybernum Solſtitium, ideſt antequam Hyemis tempeſtas initium habeat: Quomodo verò tua hæc ſimilitudo recte convenire poſſit, non intelligo; *Solſtitium enim* non eſt meta, ac finis, ultra quem tempus currere non debeat.

QUemadmodum noctes hyemali tempore longiores ſunt, & tenebricoſiores, quo magis ad Solſtitium progrediuntur: ita Borſetti Hiſtoria quo plus ad exitum accelerat, eo magis produci videtur.

In

Digitized by Google

In mentem habuit: Et iterum? In quo, dic, Guarine, obſecro, miſer ſtatus in loco fuit tibi moleſtus, ut ille te inimicum adeo oſtendas?

In mentem habuit: Quid mirum ſciviſſe te, quæ in mente habuerim, cum ſis Profeta.

Extravagantia. Vere hoc verbum *extravagans*, apud latinos enim non invenio.

Tres priores Libros &c. Io, Pean; hos Libros, Guarine indulgentiſſime, nedum *approbas*, verum etiam *approbatos* vis: Quis impoſterum impugnare audebit? Nunc ſunt Libri Canonici.

Hac labe: Quanam? explicare digneris.

Verum &c. Fateor, me penitus ignorare, qua de cauſa duos libros poſteriores elucubratos; nonne hæc conſtructio? Lector judicet, an enormiter in caſu erraveris, ponendo accuſativum loco nominativi.

Perfecta Litteraria Hiſtoria nanciſcatur: Perfecte expreſſum!

Trudendum judicamus: Abi igitur in malam crucem, Quinte,

Id quod prius *Author in mente habuit*, ſibique propoſuit, nempe multa conſarcinandi, plura omittendi, & infinita propemodum *extravagantia* parandi ad centonem multiplici panno texendum, quo plus procedit Oratio, & uſque ad integrum complementum promiſſa implere conatur.

Tres priores Libros hujuſce Secundæ partis, cum ſatis longa appendice, licet *hac labe* aliquantiſper ſcateant, tamen *approbatos volumus*, & *in acceptis reponimus*: pertinent enim omnes Viri, quorum mentio eſt, ad Gymnaſium, ſeu ad Univerſitatem (ſaltem lato modo) nonnullos tamen omiſſos credimus, & plures nimis mutilo ſtylo pertractos, vel bona fide inſertos.

Verum *libros duos poſteriores*, nempe quartum, & quintum fateor, qua de cauſa *elucubratos* me penitus ignorare.

Horum prior, nempè quartus, ad Bibliothecam Ferrarienſium Scriptorum aſtruendam, pro miſcellaneorum cumulo habendus eſt, ut ex iis *perfecta Litteraria Hiſtoria nanciſcatur*.

Alterum, hoc eſt quintum, omninò ab hoc Opere *trudendum*

Li-

Digitized by Google

Librorum nequiſſime, curre, vola, præcipita, nam te Guarinus, maximus Litterarum imperator condemnat, atque proſcribit.

Pictores, *Citharedi &c.* ſubaudias = *Mercenariæ*, *ſervilis*, *& pediſſequæ conditionis*.

judicamus, cum pro nihilo ad rem ſpectent optimi *Pictores*, Sculptores, Miniatores, Muſici, Citharedi, & hujuſmodi ad Univerſitatem litterariam componendam.

Mala conſonantia; Nempe, quia tibi Patriæ honores, laudeſque male conſonant.

Extra ordinem: In Procem. Part. 2. Hiſtoriæ meæ rationem adduxi, cur id fecerim.

Bullam Ferrarienſienſis Eccleſiæ infarciat: Nota phraſim.

Ne fortuito nos loqui dicatur: ejuſdem farinæ modus.

Sed ne fortuito nos loqui *dicatur*, adeamus Volumen ſecundum ex integro, quod ab hac *mala conſonantia* exorditur, ut *extra ordinem*, & nude nimis *Bullam* erectionis Ferrarienſis Eccleſiæ ad Archiepiſcopalem dignitatem evectæ, tamquam pro neceſſario prolegomeno *infarciat*.

Uſque ad nauſeam: Corrupto admodum, putridoque te eſſe ſtomacho, dicendum eſt, cum ea faſtidias, quæ ſanis Ferrarienſibus grata ſunt.

In Ferrarienſis Concivis ore ſordeſcunt. Scis, Larvate, quid ſordeſcat in ore Ferrarienſis *Civis?* Non laudare Patriam, ſed ſemetipſum vaniſſime, & *ultra nauſeam* extollere, de Patriæ laudibus male audire, ejuſdemque nomen, dignitatem, ac prærogativas impugnare, ut facis; hoc, ſi neſcis, hoſtis eſt, non Civis.

Et licet ejuſdem Bullæ decurſu Univerſitatis Ferrarienſis mentio ſit, & quidem cum laude, attamen in prima hujus Operis parte *ſepius* repetitæ leguntur *uſque ad nauſeam* hujuſmodi laudes, & encomia *inſignitatis*, celebritatis, *famoſitatis*, & ſimilium, quæ *in Ferrarienſis Concivis ore ſordeſcunt*.

Documentum hoc &c. Facetule omnia, ſed meminiſti ne a quo documentum iſtud datum, a quo fuerit impetratum?

Pro honorifico habendum: *Ha-*

Documentum hoc, abſque dubio, *pro honorifico habendum*, *laudandum*, approbandum, *pendendum*, prædicandum, laudibus efferendum; & celebrandum, quam me-

ben-

Digitized by Google

bendum, ac ſi vere honorificum non eſſet;

Laudandum, *pendendum &c.*, Quot ſynonima.

morabile, egregium, & illuſtre.

In Hiſtoria Gymnaſtica: Hac centumpalmari ineptia, qua initium Præfatiunculæ Primæ, ut vidimus, ornaſti, dignum Secundæ huic culmen imponis: ſcis ne quid importet hæc dictio = *Hiſtoria Gymnaſtica?* = Hiſtoriam ſignificat de Arte Gymnaſtica tractantem: Adi Facciolati Calepinum, & lege = *Gymnaſticus adject. ad exercitationem pertinens &c., ut Gymnaſticum exercitium, Gymnaſtica ars, qua Pueri corpore exercentur, & ſtudia Militaria docentur* = Hunc, alioſque ſi legiſſes, in hujuſmodi errorem, non duabus tantum, ſed mirum! triginta, & una vicibus bene numeratis non eſſes prolapſus. Agnoſce, Guarine, tandem ignorantiam tuam, & Verborum ſignificationem ſcrutari diſce, antequam aliis *vitia ſermonis objectes*. Vidiſti, quanta, ac qualia paucis in lineis Præfatiuncularum tuarum, quas certe diſertiori ſtylo ſcripſiſti, reprehenſione digna oſtenderim; inde inferas, rogo, a minore ad majus, a meliore ad pejus arguendo, quid tibi negotii faceſſerem, ſi univerſum *Supplementorum*, *ac Animadverſionum opus* in judicium evocarem.

Sed *in Hiſtoria Eccleſiaſtica*, & quidem ampliſſime, *non vero in Gymnaſtica* innectendum, circumligandumque.

At cætera, inquis, *ſermonis vitia*, quibus totam Hiſtoriam contaminari dixi, ſtudioſe diſſimulas. Non hercle, Guarine mi ſi vis, hæc

quo-

Digitized by Google

quoque expendamus. Enormiſſimis me hiſce criminibus maculatum dicis, quod ſcilicet ſcripſerim

Sgordilla	pro	Scordila.
Caſaleſchi	pro	de Caſaleclo.
Torquato	pro	de Arquato.
Valla	pro	a Valle.
Soncinus	pro	Socinus.
Bencius	pro	Bentius.
Antonius Flavius Giraldi	pro	Flavius Antonius Giraldi.
Manucianus	pro	Minucianus.
Moneta	pro	a Monetis.
Barbuglio	pro	Barbulejus.
Tauxiniano	pro	Tuſignano.
Cæſarius	pro	Cæſarion.
Ephoca	pro	Epocha.

& ſi quæ ſunt, pauciſſimæ aliæ nugæ, quæ pueriliter notantur. Illud vero, inter cætera mirandum, quod me arguas, quia Stirpium Cognomina latinizaverim, ac ſi a Scriptoribus egregiis id fieri non ſoleat, & optima ratione quidem, ne ſcilicet eadem a diverſis diverſimode in latinum ſermonem tranſlata tractu temporis detorqueantur adeo, ac immutentur, ut genuinus eorumdem terminus haud raro expiſcari, invenirique non poſſit. Si igitur Cognomina imperſonaliter ſcripſi, laudandus ſum potius, quam culpandus; neque per hoc nonnullis in locis, ut aſſeris, obſcura, vel æquivoca redditur oratio mea, niſi tibi delicatulo, ac ſuper rebus omnibus nauſeanti. Ignoſces igitur, a ſententia tua ſi receſſerim, nec, ut velles, Cognomina, aliaque ſupra memorata ſcripſerim, cum viderim apud alios, hunc quoque modum fuiſſe uſurpatum. Sed pudet me, diutius nugis hujuſmodi, triciſque in diſcutiendis detineri.

His itaque præmiſſis, quæ majorem, potioremque Guarinianæ Criticæ partem evertunt, ad alia quædam particularia, in quibus me accuſat Criticus, tranſeo.

Digitized by Google

In Supplementum, & Animadverſiones Jacobi Guarini ad Librum Primum Partis Primæ Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii.

CRiticæ pagina 8. & ſeq.* Me Guarinus corripit, eo quia in Hiſtoriæ meæ exordio, ubi de origine Ferrariæ ſermonem habeo, de Vico Egonum, ſive Ananino, dumtaxat mentionem fecerim, ſex aliis antiquæ Regionis noſtræ Vicis omiſſis; quia diverſas Scriptorum opiniones circa Ferrariæ originem non retulerim; & quia *aſſertum diploma* Vitaliani Papæ non ediderim; ut autem ſuppleat, illud in fine Primæ hujus Partis Criticæ ſuæ impreſſum exhibet, adeoque prolixum, *ut a pag.* 57. *uſque ad* 71. producatur.

Miror, Cenſorem hæc mihi objicere, quorum ſolutio per ſe patet. Ego Ferrarienſis Gymnaſii Hiſtoriam, non vero Hiſtoriam univerſam Ferrarienſium Rerum ſcribere in animum induxeram, quapropter ſatis viſum eſt, compendioſè aliquid circa originem, ac incrementa Urbis noſtræ referre, ut mihi ad argumentum viam ſternerem. Ridiculus profecto, ſibique contrarius mihi videtur Guarinus, qui, poſtquam acerrimum ſe Digreſſionum hoſtem profeſſus eſt, tot ſuperflua, longumque adeo Vitaliani Diploma, nihil ad rem, ut cum ipſo loquar, pertinens, in Hiſtoriam meam, pro Supplemento, intrudere cogitaverit.

Crit. pag. 10. Ferrarienſem Cenſorem dedecet ratio, ob quam aſſerit, totum dicti Vitaliani Papæ Diploma debuiſſe in Hiſtoria mea regiſtrari, nempe, *ut curioſis Criticis, qui tale Privilegium ſuppoſititium, ſimulatumque undique declamant, commodè exhiberi poſſet tota ſuſpicionis materia &c.*

Dixi in Hiſtoria, Ferrariam Græcis, Galliſque Imperatoribus ſucceſſivè paruiſſe: Quo ad Græcos, negat Criticus, inſulſiſque rationibus probare nititur, quod lubens concedo, ſcilicet Imperatorem Paleologum, cum Ferrarienſi Concilio interfuit, non fuiſſe Ferrariæ Dominum, *& Ferrariæ incunabula nondum fuiſſe excogitata, cum Pelaſgi cum Oenetro in Italiam venerunt*: Credo equidem, immo addo, nec per ſomnium quidem Imperatorum Cæſarum Romanorum Dignitatem fuiſſe excogitatam: ſed opportune reſipuit Criticus, ita tamen, ut ſe erraſſe minime fateri velit; nam *pag.* 149. *Correctionum in fine Operis*, hæc verba ponit: = *Exarchis poſthabitis* =, ac ſi Exarchi proprio nomine, non vero Græcorum Imperatorum, a quibus miſſi erant, Imperialibus in Italia Urbibus præſiderent.

Criticæ pag. 10. & 11. Riſum movet, quod, ad impugnandam Gymnaſii Ferrariæ Erectionem, quam ego ad annum ſalutis 1240.

refero,

Digitized by Google

referо, conſiderat Criticus; nempe nihil conferre, ad ejus Epocham ſtabiliendam, cippum marmoreum P. Pupii Medici VIViri Auguſtalis, qui floruit ante Chriſtum natum: Quis umquam dixit, documentum hoc Epocham Erectionis Studii noſtri probare? Si bene Hiſtoriam meam legiſſet Guarinus, facile intellexiſſet, me P. Pupii cippum, nec non Votivam Silvano tabulam, ac Labiri, & T. Truppici Epitaphia exhibuiſſe tantum, ut remotiſſimis etiam ſæculis, his in Regionibus Scientiarum, bonarumque Artium guſtum extitiſſe demonſtrarem: Hoc unico P. Pupii documento uſus eſt D. Baruffaldi, ut antiquiſſimis temporibus apud Ferrarienſes in pretio fuiſſe Medicinæ Artem probaret: *Commentar. Iſtorico - Erudit. alla Inſcriz. in memoria di Antonio Muſa Braſavoli, pag.* 1., *e* 2. ibi: = *Ma quanto altresì, non meno che altrove ſia ſempre ſtata nella Città di Ferrara in venerazione la nobil Arte della Medicina, ſino da' ſuoi primi rudimenti gentili, puoſſi agevolmente comprendere: Allorchè alzatoſi, in queſte vicine parti, un Tempio alla Virtù, tra gli Dei collocata da Scipione Numantino, e Q. Maſſimo, che fu poi da M. Claudio Marcello rinovato, ed un Boſco ancora, ſegue, come era loro coſtume, l'antico Fauno, ereſſero in quello la Statua dell'inſigne Medico Publio Pupio, perſonaggio di governo municipale, uno de' Seviri inſtituiti da Auguſto, e Medico celeberrimo, che aveva in coſe dure, e gravoſe grandemente giovato alla Città noſtra, qualunque ella fuſſe in quei primi tempi*. Cur ergo hoc idem P. Pupii documentum, tribus aliis ſuperadditis, ad probandum ſententiam meam ſufficiens non fuerit?

Criticæ pag. 12. Scriptoribus, quos citavi ad dignitatis Patriæ noſtræ teſtificationem, alios nonnullos Critico addere placuit, ab eo merito, laudatos, illoſque inter Gaſparem Ens. Meminerit; nam paulo infra ejus adverſus ipſum Criticum teſtimonio utar: Poetas vero ſi ad Ferrariam commendandam, poſt Hiſtoricos, introduxi, id mihi licuiſſe cenſui, ut Hiſtoriam ornarem, præſertim cum Poetarum quattuor tantum carmina pauciſſima uſurpaverim, quæ, ut videre eſt, non mentitas, ſed veras Ferrariæ laudes complectuntur, & potius Hiſtoriam ſapiunt.

Criticæ pag. 13. *&* 21. Zelo exardeſcit Cenſor, eo quia totam Elegiam Urbis Veronæ, Guarinum Guarini Civem ſuum ad ſe Ferraria revocantis, ediderim; dicit enim, eam eſſe Civitati noſtræ injurioſam. Eſto foret; a Critico quæro, utrum Verona, pro Cive ſuo recuperando, debuiſſet Ferrariam, Aulamque Eſtenſium Principum, apud quos magno cum honore, ac rei domeſticæ incremento detinebatur, laudibus cumulare, vel contra? Verona, juxtà argumenti opportunita-

Digitized by Google

tem locuta eſt, & quidquid dixit, nihil Patriæ noſtræ laudes imminuit. Sed videat Guarinus, quam parum ſibi conſtet. Hanc Veronæ Elegiam Ferrariæ injuriam prædicat; infra vero, *pag. Crit.* 24. dolet, quod *ad pag.* 85. *Hiſt. meæ*, ubi de Nivento, loco nempe, in quo nunc Ferraria ſita, mentionem habui, ſequens Cinthii Gyraldi præconium non attulerim.

Debes Principibus tuis, Niventum,
Eſtenſis tibi quos dedit propago:
Quod quondam tu humili jacens palude
Parvi nominis, & minoris ortus,
Ipſorum ſtudio, ac perenne cura,
Effers hoc mage nunc Caput ſuperbum,
Claras Auſonii ſoli inter Urbes,
Vilis quo magis, ac magis fuiſti &c.

Conferat Lector cum Veronæ vituperatione hanc Gyraldi laudem, & quænam Ferrariæ injurioſior ſit, pronunciet.

Criticæ pag. 13. 14. *&* 15. Plurimos Auctores inter, qui de Erectione Ferrarienſis Celeberrimæ Studiorum Univerſitatis ſcripſerunt, plures ſunt, qui primam ejuſdem originem Friderico II. Imperatori tribuunt, alii Bonifatio IX. Pontifici ſummo, nullus vero; quod ſciam, reperitur, qui dictam Friderici fundationem, ex profeſſo, aggreſſus fuerit impugnare; immo nec ipſi D. D. Bononienſes, in controverſia, nos inter, eoſque verſa; pro Studii noſtri celebritate vindicanda, numquam allegatam a Ferrarienſibus Imperialem Erectionem impugnarunt: Hæc gloriæ, leges intacta, civi Ferrarienſi ſervabatur, Guarino ſcilicet noſtro; quamvis tamen hanc ſibi famam Guarinus nitatur adipiſci, inconcuſſæ remanent Imperialis fundationis probationes. Quod attuli Leandri Alberti, Bononienſis Hiſtorici præclariſſimi, fideique expertæ Viri teſtimonium, quando etiam unicum eſſet, ad Fridericianam Erectionem ſtabiliendam ſufficeret; quanto magis æſtimandum eſt, cum ejuſdem Auctoris conteſtes induxerim Jacobum Middendorpio, Joannem Bleù, Gonzalez Telez, Michaelem Antonium Baudrand *poſt Lexicon Philippi Ferrari*, Gaſparem Ens, Tobiam Lokner, Mercurium Italicum, Andream Scoto, & Joannem Laurentium de Anania, Bononienſem, *ex Operibus*, *in Parte Prima Hiſtoriæ meæ citatis ad calcem pag.* 9., & *ad pag.* 327. 329. 330., *&* 331., quibus in locis præciſa etiam verba nonnullorum ex Scriptoribus laudatis retuli.

Nec valet, ad enervandam Scriptorum prædictorum auctoritatem Critici aſſertio, quod omnes Leandrum Alberti excripſerint; nam, da-

to

Digitized by Google

to etiam quod omnes Alberti recentiores eſſent, (hic enim inquirere nolo), inter eos Gaſparem Ens nominatum videt Cenſor, quem ipſe pro ſe citat *Criticæ pag.* 12. tamquam *majoris momenti Auctorem in celebranda Ferraria*; immoque, bona fide, ejus verba reddit, quæ Imperialem Gymnaſii noſtri Erectionem apertiſſime demonſtrant; hæc autem ſunt *Magna pollet* (Ferraria videlicet) *nunc temporis Nobilium Familiarum Opulentia, atque Civium locupletum frequentia; nec non celebris eſt Gymnaſio litterario Publico Diſciplinarum omnium & Friderico II. Imperatore, Bononienſium in contumeliam inſtituto*: Penſet autem æqua lance Guarinus ea verba = *Gymnaſio litterario Publico diſciplinarum omnium*, = effutiatque ſi poteſt, per illa, *Gymnaſii Publici, & Univerſalis rationem ſufficientem non perbiberi, & ad ſummum, demonſtrare aliquem litterarum, ſtudiorumque cultum in Civitate noſtra, per conductos Magiſtros in Grammatica, & Dialectica, ſeu Scientia Juris, & Medicinæ.*

Sed non hanc tantum, ſed duas alias contra ſe probationes humaniſſime inducit Guarinus, *Part. Criticæ* 2. *pag.* 5., & 6., quæ clare oſtendunt, Studium Publicum generale, multo ante Pontificium Bonifatii IX. Diploma, Ferrariæ viguiſſe. Hoc idem probant monumenta inſignium Lectorum trium, quæ *in* 2. *Hiſtoriæ Parte pag.* 1. 2., & 3. afferuntur, Joannis ſcilicet Braſavola Ferrarienſis, de quo paulo infra, Marci Leonii ex Kingorniæ Comitibus, Scoti, qui, teſte Thoma Dempſter, *in Scotorum Hiſtoria Eccleſiaſtica lib.* 11. *n.* 806., in publica Ferrarienſi Univerſitate Jus Civile interpretabatur anno 1312., & Albertini de S. Petro, Cremonenſis, qui Medicinam, ac Philoſophiam anno 1336. in Univerſitate eadem legebat, ut ſcribit Franciſcus Ariſi, *Cremona litterata Tom. I.*, ad Annum prædictum 1336.

His omnibus adjiciam tandem teſtimonium Auctoris, quem maximi Guarinus facit. Audiat itaque D. Hieronymum Baruffaldi, Erectionem Generalis ſtudii noſtri ad Fridericum II. referentem in *Commentario Iſtorico - Erudito alla Inſcrizione in memoria di Antonio Muſa Braſavoli*, *pag.* 2. ſic ille. *Da che poi la liberalità di Federico II. Imperatore l'anno* 1248. *aperſe quivi* (ideſt Ferrariæ) *lo Studio Generale, levandolo da Bologna &c. & pag.* 173., ubi de Joanne Braſavola Medico præclariſſimo loquitur*: Eſſendo poi ſtato eretto da Federico II. Imperatore lo Studio generale in Ferrara, fu annoverato il noſtro Giovanni fra i primi Lettori di eſſo.*

Hic autem fatear neceſſe eſt; plures mihi ſuadere voluiſſe, laudatum Cl. V. Hieronymum Baruffaldi latere ſub nomine Jacobi Guarini Cenſoris mei, ipſum *Supplementa*, ac *Animadverſiones* in Gymnaſii

Fer-

Ferrarienſis Hiſtoriam ſcripſiſſe, ac eorumdem impreſſionem curaſſe, & a mendis repurgaſſe dictitantes, ac intrepide adeo, ut alii, tacto pectore, alii autem, tactis Scripturis, juraturos ſe, ſi vellem ultro ſponderent. Hæc profecto nonnihil ſuſpicionis ingerebant, quamvis certo ſcirem, nullam me D. Baruffaldi res meas inſectandi cauſam dediſſe, illumque virum eſſe, qui palam, apertaque facie in certamen, ſi opus fuerit, prodire non reformidet, nec peſſime, ut Guarinus, latine ſcribat; ſed cum nuperrime in ejuſdem ſupra editos textus, fundationem Gymnaſii noſtri a Friderico factam comprobantur inciderim, ſuſpicionem omnem, dubiumque depoſui: impoſſibile enim mihi viſum eſt, unum, eumdemque Scriptorem rem eamdem, uno loco aſſerere, alio vero poſſe mordicus impugnare: Propterea in omnibus, in quibus D. Baruffaldi mecum ſentit, ejuſdem teſtimonio, ac præſidio adverſus Larvatum Cenſorem uti decrevi, atque pro opportunitate utar, ut oſtendam, oblatrantium dicteriis aures me minime præbuiſſe. Sed ad Guarinum redeo.

En autem exultantem video, chartulam quamdam informem, quam & ipſe fatetur ignoti Scriptoris eſſe, *in Eſtenſi Chronico Rerum Italicar. T. XV. col.* 524. *lit. D.* inveniri aſſerentem, qua vera Epocha Studii noſtri nitide declaratur: Hoc verò monumentum pulchrum, ac deciſivum adeo Guarino viſum eſt, ut Caput eidem ſeparatum *in Criticæ fine* ſtatuerit, *ad pag.* 124. hoc magnifico titulo Capiti impoſito: *Corollarium, a quo tota pendet Ferrarienſis Studiorum Univerſitatis Origo.* Sed quid nam novi affert chartula iſta, in Guarini oculis pretioſa? legamus: *Eodem milleſimo* (1391.) *Illuſtris, & Excelſus D. D. Albertus Marchio Eſtenſis, volens Urbem ſuam Ferrariæ inſigni*, & numquam hactenus habito honore magnificare: *cum a Santiſſimo D. N. Papa Bonifatio IX. de Studio generali conſtituendo in Civitate ipſa gratiam, & Privilegium apportaſſet: Studium ipſum in omni facultate Scientiarum in Dei Nomine incheari, atque perfici decrevit &c.* At, quis negavit umquam, Bonifatium IX. Studium generale Ferrariæ, Apoſtolica auctoritate erexiſſe? Hoc ampliſſimo Privilegio gloriatur Civitas noſtra; ſed de hoc non eſt quæſtio; quæritur, an ante Bonifatianam Erectionem, Studiorum Univerſitas, Imperiali conceſſione Ferrariæ viguerit, & validiſſime probatum eſt, quod ſic: Nec refert, quod in Pontificio Diplomate, nulla Imperialis fundationis facta ſit mentito, quia Summa Papæ poteſtas hoc exprimere non indigebat, nec debuit, ne videretur, ſaltem aliquo modo, Imperiali præcedenti Friderici II. Eccleſiæ hoſtis Erectioni inhærere: Voluit itaque Bonifatius Civitati noſtræ Studii generalis Bullam

ex

ex integro, & independenter ab antiquiori Privilegio concedere: Quod autem Albertus Marchio, per Erectionem Studii Pontificiam *novum honorem numquam hactenus habitum Ferrariæ procuraverit*, verum eſt, quia Civitas noſtra, ante Bonifatianum, aliud fundationis Studii Pontificale Privilegium numquam obtinuerat. At documentum hoc a Critico laudatum adeo, ab ipſomet falſitatis arguitur, ea in parte, in qua aſſerit, anno prædicto 1391. poſt reportatum Papale Diploma, Albertum Eſtenſem *Studium in omni Scientiarum facultate inchoare decreviſſe Ferrariæ*, ac ſi ante illud, nullum in ea Studium extitiſſet; ſcribit enim Guarinus ipſe, *Criticæ Part. 2. pag. 6.* Petrum de Tauxiniano Medicinæ Doctorem eximium uſque ad annnm 1390. Ferrariæ legiſſe. & fortaſſe Patavii; non conſideravit autem Cenſor, tempus hoc annum Dati Pontificalis Bullæ immediate præcedere, ſed ſincere rem expoſuit, citando etiam Alidoſium, Libr. Doctor. Bononien. Phil. & Med., ex quo notitiam deſumpſit. Nullum tandem faceſſit negotium, quod eadem exponit chartula, *in duabus vicibus, quatuor Fratres ex Ordine Prædicatorum fuiſſe in Sacra pagina, in majori Ferrariæ Eccleſia tunc primum magiſtratos, quod numquam ante fieri licuerat;* reſpondeo enim, per hoc non probari, ante Bonifatii Privilegium, in Urbe noſtra generale Studium Imperiali conceſſione non fuiſſe, ſed tantum, quod hujuſmodi Poteſtatis vigore, non licuerit *ante hac* in Sacra pagina *magiſtrare*. Hæc autem dicta ſint ex abundanti; nam alioquin Memoria hæc, a Guarino objecta, confutari non merebatur, cum incerti Scriptoris ſit, & fortaſſe Ferrarienſium, Rerum vel invidi, vel ignari, nullumque pondus habeat adverſus tot validiſſimas probationes, quæ de Studii noſtri fundatione per Fridericum II. facta dubitare non ſinunt.

Guarinus profecto earumdem pondere ſe premi ſentit, utque effugium quærat, dicit: Quod, eſto verum eſſet, Fridericum Bononiæ Urbem Studio generali privaſſe, illudque Ferrariam tranſtuliſſe, verum eſt etiam, eumdem Imperatorem illud non multo poſt Bononienſibus reſtituiſſe; ex quo infert, quod poſt reſtitutionem hujuſmodi, publica Studiorum Univerſitas vix nata, Ferrariæ extincta remanſerit. Anguſtis admodum limitibus Imperatoriam poteſtatem coarctat Criticus; credit enim, Fridericum Privilegium Bononienſis Studii Bononienſibus ablatum opus habuiſſe Ferrariam materialiter tranſportare, ut ibi publica Litterarum Univerſitas erigeretur, illudque ipſum Privilegium deinde Ferraria Bononiam transferre, ut in ea Studium reviviceret, quemadmodum materialis res de loco ad locum translata, ibi eſſe deſinit, unde alio transfertur: Ignorare non debet Criticus,

ipſis

Digitized by Google

ipſis Bononienſibus Hiſtoricis id teſtantibus, ter diverſis temporibus Urbem Bononiæ generali Gymnaſio a Friderico II. fuiſſe privatam, ac illud ad Civitates Patavii, Neapolis, & Ferrariæ reſpective fuiſſe translatum: At per hoc intelligendum non venit, quod Fridericus Univerſitatis Bononienſis, in ea Civitate per ipſum abolitæ, Diploma Patavium, Neapolim, ac Ferrariam tranſtulerit, ſed quod in harum Urbium qualibet, Imperiali auctoritate ex integro, & independenter a Bononienſium Privilegio, novum, ſtabile, ac perpetuum Studium fundaverit, quod, Bononienſibus reſtitutis, ipſis nihilominus in Civitatibus radicatum perduravit; nec profecto aliam ſibi originem, quam hanc Fridericianam celeberrimæ aſſerunt Neapolis, & Patavii Studiorum Univerſitates, ut, reſpectu Patavinæ, teſtatur Papadopoli, *Hiſtor. Patavin. Gymnaſ. Tom.* 1. *lib.* 1. *ſect.* 1. *Cap.* 1., a me citatus etiam *Part.* 1. *Hiſt. meæ*, *pag.* 10.

At inſtat Guarinus, ut Privilegium a Friderico Ferrarienſibus datum pro Univerſitatis noſtræ Erectione exhibeam: Hoc etiam quærat a D.D. Neapolitanis, ac Patavinis: Non extant Imperialia Diplomata; ergo publica Neapolitanum, Patavinum, ac Ferrarienſe Gymnaſia non fuerunt a Friderico inſtituta: conſequentiam abſolute nego.

Ma verò irridet Cenſor, quia diræ necis Thomæ de Terdona Sapientum Judicis tempore, publicum Civitatis noſtræ Tabularium a furenti Plebe, flammis fuiſſe traditum ſcripſerim, in quo extitiſſe documenta credibile eſt, quæ primævam Academiæ noſtræ dignitatem poſſent demonſtrare; inquit enim: *Ignis (prob dolor!) Tabularia hæc tria in tribus ſpectatiſſimis Civitatibus, eodem tempore doloſe conſumpſit, ne hujuſmodi ultrix memoria apud Poſteros remaneret. Hujuſmodi refugio gaudent, qui falſa pro veris aſtruere conantur: ignis voracitatem ream faciunt, qui ſit omnino omnia depaſtus, quemadmodum Bononienſes, qui aſſertum Theodoſianum Privilegium pro Erectione Studiorum in illa præclara Urbe (cum illud oſtendere nequeant niſi de recenti in templo D. Dominici exculptum) ab igne infeliciter conſumptum collacrymantur*. Hucuſque Guarinus, qui Theodoſianum Privilegium, tamquam commentitium impugnando, ſe non æquiorem in D.D. Bononienſes, quam in Ferrarienſes ſuos aperte perhibuit. Sed Critico interroganti ut reſpondeam, aio, numquam dixiſſe me, quod Tabularia Urbium Patavii, ac Neapolis conflagrarint; hoc dixi tantum de Publicis Civitatis noſtræ monumentis: nec falſum aſſerui; *falſum* potius ſe prodit Criticus, illud impugnando, quod a Scriptoribus Rerum noſtrarum Poſterorum memoriæ mandatum eſſe, ignorare non poteſt. Ut autem ab impacta falſitatis nota me vindicem, verba Marci Sa-

vona-

Digitized by Google

vonarola referam, qui Patriæ noſtræ Annales Italico ſermone ſcripſit: Hic igitur, in Codice eorum MS., quem apud me ſervo, ac petenti unicuique legendum exhibebo, inter Acta Nicolai II. Eſtenſis, de Thomæ de Terdona morte loquens, hæc habet: *Dubitando il Marcheſe di qualche novità, determinò darlo* (Thomam ſcilicet) *nelle mani al popolo, ne tantoſto l' ebbero nelle mani, che ſubito lo ammazzorono, e ſtraſcinorono ſino all'Offizio de XII. Savj, quale in quel tempo era poſto ſu 'l Cantone di S. Romano*, & abbruſorono tutti li ſuoi Libri, *per il qual fatto il Marcheſe l'anno ſuſſequente fece principiare il Caſtello in Piazza, che fu l'anno* 1385., *il giorno di S. Michele*. Ita Savonarola, cui aſtipulatur etiam Jacobus de Marano, *Annali di Ferrara* Anno 1385. qui rem magis præciſe narrat; & revera documenta, quæ in Tabulario Communitatis noſtræ cuſtodiuntur, antiquiora non ſunt anno 1393., in quo electus fuit Sapientum Judex Gerardus *dalla Fratta*, a die enim mortis Thomæ prædicti, uſque ad tempus electionis Gerardi, ſcilicet per annos octo, nec unum reperire fuit, qui cruentatam hujuſmodi Dignitatem ſuſcipere non detrectaret. Heus, Guarine; aude iterum ſi potes, *me falſum*, *ignemque*, qui Communis Ferrariæ monumenta devoravit, *commentitium* deriſorio faſtu appellare.

Sed adhuc adverſus Friderici Erectionem inſurgit Cenſor, aſſeritque; *Rubricam CXIV. Statutorum Ferrariæ, ſub Opizzone V. Eſtenſe*, a me allatam *Hiſtoriæ Part.* 1. *pag.* 11., agentem *de Privilegiis Medicorum*, præſertim eorum, *qui eunt ad exercitum*, nullatenus probare, tunc temporis, ideſt circa annum 1264. extitiſſe Univerſitatem Studiorum in Civitate Ferrariæ. Sed fruſtra obnititur; Collegium enim Medicorum, in hac Rubrica memoratum, denotat, tunc publicum Scientiarum, ac Artium Studium in Urbe noſtra viguiſſe, illud nempe paucis retro annis a Friderico inſtitutum. Dignum vero notatu eſt, quod Criticus, ad ſententiæ ſuæ probationem, detorquere tentet, quæ ſequuntur laudatæ Rubricæ verba; *Et hoc locum habeat in illis Medicis, qui nunc ſunt de Collegio Medicorum, & per ipſorum Collegium fuerint approbati*. Nam hæc mire contra ipſum faciunt; indicant enim, *Medicos de Collegio* habuiſſe facultatem *approbandi, & reprobandi alios*, ideſt petentes ad Magiſtralem gradum in Medicina promoveri, quæ facultas procul dubio Univerſitatem Studiorum ſupponit. Poterat igitur Cenſor, doctrinam ſuam *circa Collegiorum materiam* ad opportunitatem aliam reſervare, quia hic ad nihil inſervit.

E At

At Criticus, cum negare non audeat, documenta, quibus probavi Scholas Univerſitatis Scholarium Medicinæ, & Artium in Conventu Fratrum Ordinis Prædicatorum uſque de anno 1297. extitiſſe, quod optime Fridericianam Studii noſtri Erectionem probat, conjecturis quibuſdam futilibus validiſſimum hujuſmodi argumentum infirmare nititur; præſertim vero ait, *Hujuſmodi Scholæ errantes, & vagæ ſuſpicionem movent, non tam fixas habuiſſe radices; prout Univerſitatem decebat*. Sed hallucinatur; ſupponit enim, anno prædicto 1297. a Conventu S. Dominici Artiſtarum Scholas ad alium hujus Urbis locum fuiſſe translatas, quod falſum eſt; nam loco mutatæ ſunt, ſed in eodem Fratrum Prædicatorum Conventu, in quo ſemper *fixæ* remanſerunt, uſque ad tempus earumdem translationis ad Palatium, quod: *Del Paradiſo* vocamus: Id in Prima Hiſtoriæ meæ Parte probavi ex Libris nuncupatis, *Memoriale dell' Anno* 1490. *fol.* 52. & 62. ac *Memoriale dell' anno* 1544. *fol.* 57., & *ex Rubr.* 20. 24. & 40. Statutorum Univerſitatis Scholarium *Artiſtarum*, in fine Partis Primæ Hiſtoriæ meæ editorum; nec inveni, ullo umquam tempore, Scholas Artiſtarum alio Ferrariæ loco fuiſſe conſtitutas. Ex his autem omnibus ſatis ſuperque a Guarini objectis Imperialem Ferrarienſis Gymnaſii Erectionem tutatam arbitror, ac vindicatam. Ad alia itaque tranſeo.

Criticæ pag. 15. Cenſori videtur, Collegii Judicum, Medicorum, Phyſicorum &c. in dedecus cadere, quod ad oblationem in Feſtis Ss. Georgii, & Dominici ſolemniter accedere deberent, ex Publico Civitatis Decreto, *una* cum Artibus *Drapperiorum*, *Aurificum*, *Spatariorum*, *Sartorum*, *Fabrorum*, *Piſcatorum &c.* Sed meniniſſe debuerat, ipſos D. D. Judicem, ac Magiſtratus Sapientes, nobiliſſimum ſcilicet, ac primarium Civitatis noſtræ Collegium, quotannis, una cum eiſdem Artibus, ad Eccleſiam Divæ Annæ ſe conferre, abſque eo quod ſe credant, *ex iſta permixtione*, *peſſimo odore fœdari*. Quæro autem a Cenſore, an Artes eædem, quas hic Ferrariæ *viliores* appellat, ſint alibi nobiles. Reſpondebit, puto, *viliores* ubique eſſe; cur vero *Crit. Part.* 2. *pag.* 8., poſtquam retulit, funus Cl. Petri de Ancharano Bononiæ ad Templum D. Dominici fuiſſe aſſociatum *a quibuſcumque Artibus*, *Fratribus Mendicantibus*, & *Clero*, *nec non Collegiis Doctorum*, *Rectorum*, *Equitum*, *Judicum*, & *Procuratorum*, non addidit, Collegiorum hujuſmodi dignitatem ab Artibus prædictis fuiſſe contaminatam?

Criticæ pag. 17. Voluiſſet Guarinus, quod in Hiſtoria mea, loco

deſi-

Digitized by Google

deſignato, Marchionis Alberti Eſtenſis, qui a Bonifatio IX. Bullam Erectionis Studii obtinuerat, Imaginem integre inciſam dediſſem, prout cernitur in fronte Archiepiſcopalis Eccleſiæ noſtræ; alioque loco, ideſt, *Crit. Part.* 2. *pag.* 62., Iconem Mauſolei Torquati Taſſo exhibuiſſem. Hoc efficiet ille, cum Studii Ferrarienſis Hiſtoriam Reformatam, propriis ſumptibus typis dabit: tunc, non tantum Iconem Taſſo prædicto, qui tamen Ferrarienſis non eſt, ſed aliorum etiam plurium, pro arbitratu, poterit in Hiſtoriam eamdem introducere.

Criticæ pag. 19. Dicit Cenſor, ſe dubitare, an Oratorium, ad S. Dominicum, SS. Cruci dicatum, eo loci, quo illud ſtatui in Hiſtoria, antiquitus ſitum fuerit: ſed pro ſententia mea infirmanda dubitare non ſufficit: opus eſt, contrarium concludenter probare.

Criticæ pag. 20. Notat Cenſor, quod in enumeratione Collegiorum, mentionem *Libri Statutorum Miſericordiæ* non habuerim: Oh hominem verè jucundum! Statuta ſunt ne Collegium? Ulterius, tenebar ne, de unico dictorum Statutorum Codice, ſi tamen extat, in Archivo Notariorum ſepulto notitiam habere?

Eodem pag. 20. Conductio per Civitatem facta Franciſci de Campanea inſignis Grammatici, ac aliorum ejuſdem Profeſſionis Virorum, famæ Univerſitatis noſtræ nequaquam officit, ut male ſentit Guarinus, immo ſolertiam Reipublicæ Moderatorum oſtendit, non ſolum circa res Gymnaſii noſtri, ſed etiam circa optimam Puerorum in latina lingua eruditionem: Deſinat, quæſo, Criticus *Pædagogos* ſubſannare, eorumque *Scuticas*, *ferulaſque* vereatur potius, ſi hanc Criticam ſuam, latine (prout illi videtur) ſcriptam in examen vocaverint: Væ ejuſdem manibus!

Criticæ pag. 21. Petrum II. Bojardi Ferrariæ Epiſcopum Epiſcopatum dimiſiſſe ſcripſi, incertumque, an id ſponte egerit; Cenſor verò, ſumma charitate, hunc locum ſupplendo, dicit, Petrum id coactum feciſſe, utpotè qui repertus fuerit leſæ Majeſtatis reus; quod fortaſſe etiam falſum erit.

Criticæ pag. 22. Inter Epitaphia varia, in morte Nicolai Marchionis Eſtenſis, a me edita, laudatis tantummodò illis Titi Strozza, & Guarini Veronenſis, cætera carpit, deſpicitque latiniſſimus Cenſor noſter, tamquam *Poetarum*, *ut plurimum ignoti nominis*, *nihil novi relevantia*, & *ſtylum penè barbarum redolentia*. Quanta in judicando alacritas? Poetæ autem, quos rejicit, ſunt Ludovicus Sardi, Hieronymus Guarini, Michael Savonarola, Guilielmus Forfex, Lippus Piateſi, & alii.

Digitized by Google

Eadem pag. 22. Ex Decreto 17. Januarii 1442. Moderatorum Reipublicæ noſtræ, a me edito, male infert Criticus, Ferrariæ antè illud tempus, Studium generale non extitiſſe, ſed tunc tantum fuiſſe inſtitutum; nam contrarium concludenter probavimus, nihilque aliud, ex Decreti verbis evinci poteſt, niſi quod antea, per tempus aliquod, fuerit neglectum, ac intermiſſum. Hoc oſtenditur a *Reformatorum* electione, vigore Decreti ejuſdem facta; reformatio enim, reformandam rem tempore priorem fuiſſe, ſupponit. Sed de hac præcedenti Gymnaſii noſtri intermiſſione ampliſſimum teſtimonium afferre placet, ut Guarini os obſtruatur. Angelus Gambilioni Aretinus, inſignis in Gymnaſio noſtro Profeſſor ante tempus Decreti hujus, nempe ſub Principatu Nicolai Eſtenſis vita functi anno 1441. deinde Leonelli Eſtenſis, qui deceſſit anno 1450.; & tandem Borſii Eſtenſis, ejuſdem Leonelli fratris, ac in Imperio ſucceſſoris, *Proœm. Comentar. Inſtitut. Imperial. Borſio prædicto Ferrariæ Duci dicat.* hæc habet: *Nam ut cætera omittam, cum bonarum Artium præclarum Diſciplinarum primum Gymnaſium in hanc tuam felicem, & inclytam Urbem revocaſſes, non fama noſtra, quæ tenuis admodum, & exigua eſt, ſed tua potius probitate, ac etiam erga Studioſos homines ſingulari benevolentia effeceris, ut huc conducerer, & Ego aperte intellexi, & cæteri omnes facile perſpicere potuerunt &c.* = & paulo poſt: = *qui his temporibus in Ferraria florentiſſima primum Litterarium Gymnaſium jampridem intermiſſum rurſus inſtituiſti &c.*

Criticæ pag. 23. Ad objectum, quod in editione informis Rotuli anni 1450.; omiſerim *aliquid Singulare ſupperaddere juxta famam* Celebriorum in eo deſcriptorum, reſpondeo, me id fuiſſe executum *in* 2. *Hiſtoriæ Parte*, ut mihi uſque ab initio propoſueram.

Criticæ pag. 24. In declaranda antiquæ Civitatis noſtræ polygraphia a me edita, ridet Criticus, quia *more*, inquit, *cancrorum retrogrado*, ab antiquioribus Sæculis exordiens, additamenta Civitati, diverſis facta temporibus recenſeo; deſcendendo uſque ad annum 1374., circa quod tempus polygraphiæ prædicta fuit efformata, ac ulterius etiam progrediendo; at ipſe vere ridiculus; cum id mihi vitio vertat, quod ab Hiſtoricis fere omnibus fieri ſolet, immo, ut plurimum debet, ad hoc, ut remotiores cauſæ, & rerum origines, quæ in Hiſtoriam cadunt, cognoſcantur.

Criticæ pag. 25. Abſolvit Guarinus cenſuram Libri primi, eruditiſſime explicando, quid ſignificet vox *Rotulus*, & tradendo Doctri-

nam,

Digitized by Google

nam, *de Bidellis*, quam hauſit a Statutis Collegii Juris Utriuſque Doctorum, & Scholarium Medicinæ, & Artium, a me in Hiſtoria editorum.

In Supplementum, & *Animadverſiones ad Librum Secundum Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii.*

CRiticæ *pag.* 27. In dedecus Collegiorum *Juriſtarum*, ac Medicorum non poterat reſultare *aſſociatio facta Cadaveri Marchionis Nicolai Eſtenſis* capite mulctati, tamquam perduellionis rei; primo, quia Chriſtianæ Charitatis actus laudem promeretur, ac magis, cum erga infeliciores exercetur; Secundo, quia extincto Principi id honoris exhibitum, non reluctante, & fortaſſe ſuadente etiam Hercule I. Ferrariæ Duce, qui illum damnaverat; Et tertio, quia Dux idem illum magno honore, ut Principem decebat, in Eſtenſium Sepulchro ad S. Franciſci Templum tumulari paſſus eſt; inſulſa eſt igitur Guarini conſideratio, his verbis feliciſſime manifeſtata: *Certe Martyribus, ac illuſtrioribus Reipublicæ Viris honor iſte non denegatur, ſed rebellibus, valde dubitandum.*

Criticæ pag. 28. Me impugnat Guarinus, quoniam ſcripſi tempore Herculis I. Ducis prædicti, amplum fuiſſe Eſtenſium imperium, dicitque *tunc*, nempe anno 1485., *exiguum illud fuiſſe*, *reſpective ad banc præſentem ætatem*: Hoc autem an ad rem, judicent omnes.

Eadem pag. 28. Male hic me corripit Cenſor, eo quia fuſius jura Collegii Doctorum Juris utriuſque, præſentandi ad Archidiaconatum Archiepiſcopalis Ferrarienſis Eccleſiæ, vigore ultimæ voluntatis Ludovici Pacchiarini, expoſuerim; nam notiones omnes, quæ ad rem prædictam pertinent, ac fundamenta jurium Collegio competentium indicare volui, & Poſterorum memoriæ commendare, Notariorum Iſtrumenta, ſeu Acta alia recenſendo, ne umquam, ſi fieri poſſit, horum evaneſcat notitia. Idem pro dicto habeat Criticus (repetere enim non vacat) circa diſpoſitionem Co: Hannibalis Manfredi, favore Civitatis, & Hæreditatem Leoni, de quibus *in Critica pag.* 40. & 44. Si hanc adhibendo metodum Guarino placere non potui, nihil intereſt, dummodo ab æquioribus, ſaltem ob diligentiam, optimamque mei erga Patriam voluntatem, laudari promerear.

Criticæ pag. 29. Tranſitum inſignis Theologi Ludovici Valenza Ferrarienſis ad Patavinum Gymnaſium, ut, primus omnium, ibi Theologiam profiteretur ad mentem Doctoris Angelici, Litteraſque Ducis

Vene-

Digitized by Google

Venetiarum, ſuper eo datas, ait Guarinus, Ferrarienſibus multum non eſſe honorificas, *eſt enim*, inquit, *hæc argumentatio quædam Logicalis, quæ de minori ad majus ſæpiſſime habetur*. Optima conſequentia! Lectores haud pauci Bononienſes a Gymnaſio Publico Bononienſi ad profitendum in Ferrarienſi ſe contulerunt; ergo Gymnaſio Bononieſi, quid indecorum? Inſuper, abſque ulla tamen probatione, negare pergit Cenſor, Celeberrimam diſputationem a dicto Valenza cum Joanne Pico Mirandulano habitam in decus Patriæ noſtræ redundare, quia nempe, ut inquit ipſe, hæc Patavii accidit; ac ſi Valenza eadem in Urbe, Ferrarienſis eſſe deſiiſſet.

Eadem pag. 29. Si Guarinus legiſſet, quæ immediate ſcripſi, ante editionem Decreti anno 1454. 24. Maii per Paulum Coſtabili Sapientum Judicem, ac Magiſtratum facti, vidiſſet, me illic locutum fuiſſe de Oblationibus Cereorum, quæ per Studii Lectores fiebant, & ſucceſſive dictum Decretum retuliſſe, ut oſtenderem, *omnes quoque Communis Ferrariæ Officiales*, ſunt mea verba, *ad oblationem convenire fuiſſe obligatos*. Cur ergo clamat Criticus, ſe in Decreto, Lectorum ullam mentionem fieri non inveniſſe? Quandonam dixi, illud de ipſis mentionem facere?

Criticæ pag 30., *&* 31. Poſt lectionem ad pompam, circa valorem libræ *Marcheſanæ*, ac *Marcheſanorum* ſolidorum, quam ad examen revocare ſuperfluum duco, me accuſat mentitus Guarinus, quod veri Baptiſtæ Guarini anguſtiam in re familiari patefecerim, adducendo Carmina Elegiæ præclariſſimi ejuſdem Poetæ, quibus Danieli Fini ſuam aperit nummorum indigentiam, quorum ingens ſumma erat illi neceſſaria, pro conſtructione magnifici Palatii a fundamentis, in Via S. Mariæ Angelorum excitati. At quis neſcit, Ædem magnam conſtruenti multum pecuniarum opus eſſe? Illum audi iterum.

Si quæras, ubi tot poſſim conſumere nummos,
Hoc unum Daniel, ſufficit: Ædifico.

Falſum eſt igitur, ex allatis Elegiæ carminibus Guarini tenuem fortunam inferri poſſe; immo potius contrarium concludendum; improbabile enim eſt, anguſti cenſus Virum potuiſſe Palatium adeo nobile propriis ſumptibus ædificare.

Criticæ pag. 31. Videtur hac in eadem pagina Guarinus ſibi contrarius, nam dicit Peregrini Priſciani Opera *pro majori parte in Eſtenſi Bibliotheca ſervari, & nonnulla etiam Romæ in Bibliotheca Gluſiana*; in fine vero paginæ ejuſdem aſſerit, dicti Priſciani Scripta *magna in parte deperdita fuiſſe, & per fragmenta tantummodo reperibilia.*

Cri-

Criticæ pag. 32. Hic Cenſor manifeſtiſſimum exhibet argumentum diligentiæ ſuæ in legendo Hiſtoriam meam, male, fateor, ſed clare tamen, nec Arabice ſcriptam, dicit enim *Privilegia tum Juriſtis, tum Artiſtis Ferrarienſis Univerſitatis fuiſſe collata a Carolo V. Imperatore, dum Bononiæ moraretur*: Oh bellum Cenſorem! qui de his, quæ ignorat, deciſive adeo pronunciet. Utrumque Caroli Privilegium in 1. *Hiſtoriæ meæ Part. ad pag.* 164. *& ſeqq.* per extenſum dedi. Hæc ſi legiſſet, & quæ a me eorum in fronte ſcripta ſunt, *abſque conſpicillis etiam*, vidiſſet, ea fuiſſe a Carolo *Juriſtis*, & *Artiſtis* Univerſitatis Bononiæ, non Ferrariæ, conceſſa, ſed *Juriſtis*, ac *Artiſtis* Studii noſtri, vigore Pontificalium Bullarum, communicata.

Eadem pag. 32. Dixi, Hiſtoriæ *Part.* 1. *pag.* 183. Henricum VIII. Angliæ Regem ſuffragia celebriorum Europæ Univerſitatum emendicaſſe, ut ſuum cum Catharina Aragonia conjugium infringeret, datamque curam Cœlio Calcagnini, *Ferrarienſium vota procurandi*; & hoc apparere ſcripſi quatuor ex Epiſtolis Calcagnini ejuſdem ad Ricardum Croco, aliaque ad Regem ipſum datis; ſunt autem in Volumine Operum Calcagnini Baſileæ edito, *Libr. Epiſtol. undecimo*, *ad pag.* 151. 152. 153. 154., 155. Ex his tamen Epiſtolis *non evinci poſtulata fuiſſe ſuffragia a Ferrarienſi Univerſitate*, vociferatur Criticus: At hoc neminem dicere poſſe arbitror, niſi qui eas non legerit; aperte enim oſtendunt, Cœlium ſententiam Theologorum, ac Juriſconſultorum noſtrorum, in cauſa Divortii, favore Regis procuraſſe, caute tamen, ne Herculis Ducis iracundiam in ſe provocaret, cujus multum intererat minime irritare Carolum V. Imperatorem Aragoniæ gentilem, quem penes judicium, inter ipſum Herculem, ac Romanum Pontificem ſuper Mutinæ Dominio, adhuc indeciſum pendebat. Nihil autem refert, quod in dictis Epiſtolis expreſſe non dicatur, Ferrarienſem Univerſitatem fuiſſe conſultam; cum alioquin certum appareat, Univerſitatis Doctorum vota ſeorſim fuiſſe a Cœlio noſtro procurata.

Eadem pag. 32. Danielis Fini celebris Viri, ac latini Poetæ optimi, *pag.* 186. *ac ſeqq. Partis* 1. *Hiſtoriæ meæ* ad annum 1539. mentionem feci, ejuſdem etiam carmina nonnulla addendo, nec non quædam celeberrimi Titi Veſpaſiani Strozza, ac Epitaphium a Scipione Balbo conſcriptum, ex quibus cognoſcere eſt, quæ munera in Patria Fini laudatus ſuſtinuerit. Fuit autem ille, inter cætera, Gymnaſii noſtri Cancellarius, quo in munere deceſſit; propterea perperam, ut ſolet, aſſerit Cenſor, illum ad Univerſitatem noſtram non

per-

pertinere; quod certiſſimum judicium eſt, neglexiſſe Hiſtoriam meam legere, in qua, loco citato, *Fini fuiſſe Almi Gymnaſii Cancellarium*.

Criticæ pag. 33. Nihil intererat, quod Criticus prolixum teſtimonium *ex Elogiis Pictorum Venetorum Caroli Ridolfi* afferret, ad probandum Joannem Antonium Regillo, vulgo Pordenone, Ferrariam accitum fuiſſe ab Hercule II. Duce, *ut Aulæa pararet*, *ſeu delinearet pro textura*; nam ſi Hiſtoriam *meam ad pag.* 191. *Part.* 1. legiſſet, vidiſſet, ſcripſiſſe me, ab Hercule Pictorem hunc inſignem fuiſſe conductum, ut in Regio Ferrariæ Caſtro pingeret, nec non *Aulæorum*, *quorum intexendorum ars tunc apud Ferrarienſes efflorebat*, *typos efformaret*. Negat ne Ridolfi ex adverſo citatus, Joannem Antonium etiam in Caſtro Ferrariæ pinxiſſe? minime gentium; immo præcipua hac de Cauſa ad Urbem noſtram accitum puto, erat enim recentis albarii Pictor excellentiſſimus, ut teſtatur Joannes Franciſcus Palladio Olivi, *Hiſtor. del Friuli Part.* 2. *lib.* 4. *fol. mihi* 160.

In Supplementum, & *Animadverſiones ad Librum Tertium Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii*.

CRiticæ *pag.* 36. Fides penes Guarinum ſit, circa Codices Manuſcriptos Bibliothecæ Cœlii Calcagnini, quos, inhærendo cuidam afferto Joannis Hieronymi Monferrato Inventario, *ad ingentem numerum trium - millium - quingentorum - octuaginta - quatuor aſcendiſſe ſcribit*: Vix eſt ut credam, totidem in potentiorum Principum, Regumque Bibliothecis aſſervari.

Eadem Criticæ pagina. Retuli, Hiſtoriæ meæ *Part.* 1. *ad pag.* 200. 201. & 202. anno 1554. PP. Societatis Jeſu Ferrariæ ab Hercule II. Duce perpetua fuiſſe ſede firmatos, ne hæc, fœdiſſima Calvinianæ Hæreſis labe pollueretur; Calvinum ipſum Hæreſiarcham in Urbem irrepſiſſe, ac per dies aliquot latuiſſe in Aula Renatæ Ludovici XII. Galliarum Regis filiæ Ferrariæ Duciſſæ, eadem lue infectæ; quædam Jacobi Lavezoli latina Carmina attuli, quæ, laudata prius Renata prædicta, illam in Calvinianam Hæreſim propendere, modeſte indicant; tandem ſcripſi, Herculem de Calvini mora hac in Urbe certiorem factum, eum debitis pœnis mulctare decreviſſe, quas Vir iniquus, ab Amicorum aliquo monitus, Ferraria aufugiens vix declinavit: Hæc ego, quæ ſatis ſuperque reſpondent Critico oblatranti, me carmina Lavezoli introduxiſſe in Hiſtoriam, *quæ fœminam lau-*

dent

Digitized by Google

dent omni vituperatione, *quo ad Religionem*, *digniſſima*; nam hoc falſum dicta Carmina oſtendunt, quæ Duciſſam, quo ad Religionem Romanam Catholicam, ſuſpectam ſaltem aperte demonſtrant; noluit enim Poeta ſubditus Principem ſuam Hæreſis abſolute inſimulare; & Cenſori reſpondent etiam dicenti *Calvini fugam fuiſſe potius collacrimandam*, ac ſi ejuſdem evaſionem non deploraverim, dum citata pag. 201. hæc præciſe ſcripſi: *Fugientem potenter inſecutus eſt Hercules noſter*, *ut læthalis Hydræ capita igne conficeret*; *at magno Catholicæ Reipublicæ malo*, *Principis ſollicitudinem fefellit*, *flammaſque promeritas devitavit*. Dic, obſecro, lector, nonne verum, quod ſæpe oſtendi, Guarinum Hiſtoriam meam integram non legiſſe?

Quia vero *pag.* 202. ſupra indicata, de nonnullis inſignibus e Societate Jeſu Ferrarienſibus mentionem feci, bonus Guarinus, ut mihi amicos conciliet, accuſat, me alios omiſiſſe, *qui debito bonore fraudari non debuerant*, nempe Joannem Baptiſtam Montani, Hieronymum Brutturi, Antonium Villa, Hyppolitum Palmieri, & Hyppolitum Sivieri. Quo ad poſtremos duos, Criticus falſum ſcribit, quia non legit Hiſtoriam meam; nam de ſingulis, proprio loco, inter Studii Lectores egi: Partem ejuſdem Hiſtoriæ Secundam adire ne dedignetur, ibique *pag.*266. Hyppolitum Palmieri, & *pag.* 274. Hyppolitum Sivieri memoratos videbit. Sic etiam *pag.* 335. de P. Hieronymo Brutturi ſermonem habui, qui tamen non fuit Jeſuita, ut ſcribit Cenſor, ſed ex Minimorum Ordine. Quo ad P. Montani, nullam ejus notitiam habui, ne quidem Jeſuitam fuiſſe. Quo vero ad P. Villa; non eum tantum, ſed etiam P.P. Filippi, & Bonaglia (omnes enim quotquot ſunt, plurimi facio) memoraſſem, ſi menti occurriſſent; credidi tamen mihi ſatis conſuluiſſe, poſt nominatos loco citato addendo, *aliique plures*.

Criticæ pag. 37. Cum negare nequeat Cenſor, Teſtimonium Doctorum Univerſitatis noſtræ Theologis Sorbonæ exhibitum, favore P.P. Jeſuitarum, a me editum *Hiſtor. Part.* 1. *pag.* 202. in magnum ejuſdem Univerſitatis decus cedere, nititur ſaltem (optimum Ferrarienſem!) illud imminuire, his verbis: *Non fuit unica Ferrarienſis Univerſitas*, *cui poſtulatum fuerit hujuſmodi teſtimonium*. *Pariter hæc petitio facta fuit Bononienſi*, *&* *Patavinæ Univerſitatibus*; *nec non* *&* *aliis Italiæ*; *prout Acta earumdem Univerſitatum teſtantur*: Aſſerta hujuſmodi Univerſitatum Acta negare poſſem, cum præciſe non indicentur, nam homo perſonatus nullam facit auctoritatem, immo

F habet

habet contra ſe præſumptionem quod ſecure mentiatur; nihilominus, tranſeat, Univerſitates alias fuiſſe requiſitas; quid inde? Oportet, ut oſtendat Cenſor, nedum fuiſſe requiſitas, verum etiam earumdem Teſtimonia fuiſſe ad Sorbonam tranſmiſſa; immo Teſtimoniales ipſas Litteras edat; alias tantum aberit, ut requiſitio aliis Univerſitatibus Ferrarienſis noſtræ gloriam extenuet, ut potius, ex ejuſdem teſtificationis ſingularitate, ſupra modum augeatur.

Eadem pag. 37. Dixi, & nunc confirmo (quidquid vociferetur Criticus) *Palatium del Paradiſo* nuncupatum, in quo Publicæ Scholæ omnes anno 1567. conſtitutæ ſunt, ante id tempus fuiſſe ſub Paræcia S. Clementis, nam magnum oſtium, per quod ingreſſus in illud habebatur, in Via appellata *Del Giuoco del Pallone* ſitum erat, & cernitur adhuc muro clauſum; ſed paulo poſt, Palatii ejuſdem Capite S. Agnetis Viam reſpiciente in Proſpectum magnifice immutato, ibique Oſtio conſtituto, ſub Paræcia S. Clementis eſſe deſiit, illique S. Agnetis ſubeſſe cæpit.

Eadem pag. 37. Antiqua inſcriptio, quam *pag.* 209. Part. I. Hiſtoriæ meæ dedi, mire probat, quod ſcripſi, circa Oratorium Ss. Crucis, & ſitum Scholarum antiquarum ad S. Dominicum; cum autem nihil habeat, in quo poſſit impugnare Guarinus, & nihilominus maleſanam carpendi libidinem explere cupiat, dicit quod *antiqua Inſcriptio ſatis fidelis non eſt*. Probet; nam probationis loco habendum non eſt, quod ipſe dixerit.

Criticæ pag. 38. Pati nequit Guarinus, me de Petro Caſtagna, Hiſpano inſigni Medico mentionem feciſſe, *Prima Hiſtoriæ Part. ad pag.* 210. *& ſeqq.* utpotè de homine, *quem verius quam Doctorem*, inquit ipſe, *empyricum Medicum*, *Circumforaneum*, *Circulatorem appellare decuiſſet*, *cum neque fuerit Lector*, *nec in Ferrarienſi Univerſitate laurea inſignitus*. At ego, his minimè obſtantibus, eum digniſſimum duxi, qui in Hiſtoria mea locum haberet, tamquam inſignis in propria Arte, medendi iis præſertim, qui eſſent Epidemico morbo correpti, & de Patria hac optime meritus, cum eidem Antidotum nobiliſſimum Olei, *Contro Peſte*, modumque illud conficiendi revelaverit; quod quidem Oleum apud omnes fere Populos maximo in pretio eſt, ita ut frequenter, pro eo comparando, multi ad Pharmacopolam noſtræ Communitatis occurrant.

Eadem pag. 38. Ad hunc Cenſuræ locum, quin iraſcar, me cohibere non valeo: Audi, lector humaniſſime, in quo, quibuſque verbis arguar a Cenſore Guarino: Sic ille: *Narratis incaſſum ante-*

ceden-

cedentibus eventibus, *ad Devolutionem Ducatus Ferrarienſis ad S. Sedem Apoſtolicam devenitur*, *ſed unica*, *& quidem brevi periodo*, *habens ſe author excuſatum de bujuſmodi compendioſa parſimonia*, *eo quia*, *apud Scriptores*, *origo hujus Devolutionis ſatis liquet*; *ſed non in aperto fortaſſe erant alia ſuperenarrata? Ferrarienſes Hiſtorici nibil horum tacent*, *& tamen in bac Gymnaſiologia diffuſe exponitur. Caute tamen loqui voluit in re tanti momenti*, *ne ſero*, *nimium dixiſſe*, *pæniteret*: Hæc, Guarinus.

Verum eſt, me indicata tantummodo, ad annum 1597. Ferrariæ, ejuſdemque Ducatus ad S. Apoſtolicam Sedem Devolutione, ad Rerum Studii narrationem continuandam illocò ſermonem convertiſſe: En verba mea, *Part.* 1. *pag.* 229. *Quæ deinde inter Clementem VIII. Pontificem Maximum*, *ac Cæſarem Eſtenſem Mutinæ ac Regii Ducem acta ſint*, *quibuſve is de cauſis Urbem Ferrariæ*, *cum toto Ducatu*, *Pontifici vacuam dimiſerit*, *cum apud Scriptores ſatis in aperto ſit*, *ad ea*, *quæ circa noſtram Studiorum Uuiverſitatem* ſub feliciſſimo, Sanctiſſimoque Romanæ Sedis Imperio, *uſque in bodiernam diem acta ſunt*, *referenda convertimur*. Quæro abs te, Guarine, Digreſſionum impugnator, an hæc non ſufficiant, ad tempus Devolutionis Ferrariæ deſignandum, abſque eo quod ejuſdem cauſarum, ad argumentum minime pertinentium, Hiſtoriam expoſuerim?

Sed quid eſt, hominum mendaciſſime, ac maligniſſime, quod de me temere hariolari audes; *caute me loqui voluiſſe*, *in re tanti momenti*, *ne*, *dixiſſe nimium*, *ſero me pœniteret?* Quandonam indicium, vel leviſſimum quidem in me inveniſti, quod intemeratam mei fidem erga Sanctam Sedem in dubium revocare poſſet, adeo ut, me aliquid in ipſius præjudicium ſcribere poſſe arbitrareris? Hoc vere *mentiri eſt*, hoc impudentiſſime malignari: Ede, ſi quid habes; ſi non habes, inquire; ſed in ſcirpo nodum, in Sole maculas quæritabis. Hæc tantum dico, & mihi gratiam habeas, quod magis ad hominem, ut jure poſſem, non reſpondeam.

Criticæ pag. 39. Originem Publicæ Intrepidorum Academiæ ad annum 1600. referendam eſſe ſcripſi, *Hiſtoriæ Part.* 1. *pag.* 231. Hoc negat Criticus, dicitque ad anum 1601. referri debere; ſed perperam, ut ſolet: Audiat Auguſtinum Fauſtini, *Hiſtoria di Ferrara libr.* 5. *fol.* 18. *e* 19. *all' anno* 1600. ibi: *Nel qual tempo eſſendoſi aperta la Accademia degli Intrepidi*, *fu dato principio al bel Teatro*, *che ſi vede nel nuovo Granaro vicino alla Chieſa di*

F 2 *S. Lo-*

Digitized by Google

S. Lorenzo, poſſeduto oggidì dal Signor Marcheſe Pio Obizzi, che l'ha reſo più bello di quello, che aveva fatto Gio: Battiſta Aleoti, detto l'Argenta, che ne fu Ingegnero, & Architetto, con la qual occaſione, il Co: Guido Ubaldo Bonarelli publicamente parlò, eſortando la Gioventù di Ferrara, e maſſime Nobile all' acquiſto delle Virtù, alle quali fu ſempre naturalmente inclinata. Item in Magno Conſilio Civitatis noſtræ die 8. Maii 1601. habito, quod in Reg. Publicor. Decretorum Civitatis noſtræ, ſignat. foris Litt. B. ad pag. *69.* legitur, apparet, ante tempus dicti Conſilii, Academiam Intrepidorum fuiſſe inſtitutam, & electum in ejuſdem Principem Donum Carolo Cybò Malaſpina.

Ex laudato Fauſtini textu, conſtat etiam Academiam prædictam, primo in Theatro ad S. Laurentium fuiſſe congregatam, ut ſcripſi ego; negat vero Criticus, quo fundamento, divinare neſcio. Jacobum Mazzoni (nam hoc eodem Criticæ loco objicit Cenſor) Forolivienſem Patria appellavi, quia ab aliis ſic nuncupatum legi, præcipue a Papadopoli *Hiſtor. Gymnaſ. Patavin. Tom. 2. lib. 2. Cap. 36.*

Falſum eſt, quod ſecure Guarinus affirmat, Intrepidorum Academiæ annuum redditum ſcutorum centum fuiſſe ſub Papa Alexandro VIII. aſſignatum; Nam redditus; (fuit autem ſcutorum Centumquinquaginta veteris Ferrariæ monetæ) pro anno quolibet, ex Publico Civitatis Ærario, Academiæ conſtitutus eſt a Magno Conſilio prædicto 8. Maii 1601., ut videre eſt, loco ſupra citato.

Eadem pag. 39. Crambem millies recoctam vocat Criticus locum Franciſci Patrizii in Ferrariæ laudem, circa Poeſim, quem dedi *Hiſtor. Part. 1. pag.* 233. *illumque antiquum dicit, & aſſentationis plenum diebus noſtris, ut faſtidium moveat iis præcipue, qui lege vivunt nova, non veteri. Hac millies recocta Crambe antiqua, & aſſentatione referta diebus noſtris* menſam ſuam inſtruxit anno 1713. Auctor Præfationis ad Librum aliàs citatum, *Saggio delle Rime de' Poeti Ferrareſi*, in Præfationis initio; nihilominus hoc cibo Ferrarienſem nullum, Guarino excepto, faſtiditum, vel nauſeatum audivi. Inſuper ſi Præfationis Scriptori, qui D. Baruffaldi eſſe creditur, hac *crambe millies recocta* uti licuit, cur & mihi non licuerit? Quæro a Critico etiam, quomodo Patrizii teſtimonium de vero in falſum tractu temporis tranſire potuerit, ita ut, quando ab eo pronuntiatum eſt, verum, ſincerumque fuerit, *his vero diebus noſtris ſit aſſentationis plenum?* Item quæro, quid ſignificet, *vivere lege nova,*

non

non veteri; forſitan de Patriæ laudibus male ſentire, ejuſdemque jura in dubium revocare?

Eadem pag. 39. Non Hiſtoriæ meæ tantum, ſed Bullarum Papalium Cenſorem ſe Guarinus oſtendit; nam cum *Centones* dixerim, ad ſignificandum *Strazzi*, vocem *Scruta* ſubſtituendam eſſe dictitat: Ego autem Critici correctionem ſperno, nec me pœnitet, vocabulum uſurpaſſe, quo uſus eſt Clemens VIII. Papa in ſuo Brevi, *Centumvirale* vulgò nuncupato, in quo §. *Præterea*, inter redditus Civitati noſtræ donatos, illum quoque enumerat collectionis Centonum, ibi; *Nec non de Appaltu Collectionis Centonum, vulgò Aſſunamento delli Strazzi per carta &c.*

Criticæ pag. 41. Invincibiliter contra Guarini ſententiam probo, Officium Judicis XII. Sapientum, ante ejuſdem translationem ad magnam Principum Aulam, *poſitum non fuiſſe è regione Eccleſiæ S. Romani*, ſed dictæ Eccleſiæ, mediante tantum ejus Clauſtro fuiſſe contiguum, & hoc ex verbis Publici Decreti infraſcripti, recepti per Bartholomæum Jsnardi dicti Officii Notarium; illudque habetur *in antiquo Decretorum Communis noſtri Regeſto ſignato foris Litt.* G. *pag.* 60. Eſt autem hujuſmodi.

Die 21. *Octobris* 1451.

Spectabilis Judex XII. Sapientum &c. una cum Sapientibus &c.

Conſiderantes Commune Ferrariæ obligatum fore omni anno ad ſolvendum Bartholomæo de Bruno Libras vigintiquinque, pro penſione cujuſdam partis Domus cupatæ, muratæ, & ſolaritæ, poſitæ Ferrariæ, in Contracta S. Romani, in qua quidem parte dictæ Domus congregantur duodecim Sapientes dictæ Civitatis una cum eorum Judice, & ipſe una cum eis, pro negotiis dictæ Civitatis peragendis, ubi eſt quædam Camera terrena juxta viam publicam uno capite, alio Capite Inclauſtrum S. Romani, uno latere Magiſtrum Antonium a Pena Cultrarium, alio latere Officium dictorum XII. Sapientum &c. Impugnet Cenſor omniſcius, ſi poteſt, hoc innegabile Publicum documentum, ſcribatque *iterum*, *Reſidentiam Judicis*, *Magiſtratuſque Sapientum, e regione Eccleſiæ S. Romani* fuiſſe poſitam.

Eadem pag. 41. Objicit Guarinus, Epigramma Cœlii Calcagnini a me editum *non probare Reſidentiam Magiſtratus Urbis noſtræ in magno Curtili Eſtenſium Principum, niſi titulus præponatur*. Reſpondeo,

deo, hoc non fuiſſe neceſſarium, cum loco tituli ſatis ſuperque ſint, quæ de Magiſtratus Æde hujuſmodi, ante Epigramma ſcripſi.

Eadem pag. 41. Arguor, eo quia propugnacula illa, quæ in Padi ripa conſtituta ſunt, ad aquas intra alveum coercendas, vulgo *Froldi*, Aggeres appellaverim, vult enim Cenſor, *Froldo* non eſſe Aggerem ipſum, ſed eroſionem in eo factam ab impetu decurrentium aquarum: Mirum, quod hoc aſſerat, poſtquam legit Librum, cui titulus *L' Idea del Perfetto Giudice di Argine*, a quo, quamvis id taceat, Etymologiam verbi *Froldo* a *Fralle*, ſeu *Frollo* didicit: Librum eumdem iterum legat, comperietque, non ſolum *Froldi* Aggeres eſſe, ſed aliis eſſe robuſtiores, vulgo *Maeſtri*, nec de eorum natura eſſe, quod a præterfluentibus fluminum aquis ſint corroſi.

Criticæ pag. 42. Verum eſt, quod Guarinus inquit, Univerſitatum Studiorum nomen, ac famam per extraneos Lectores propagari, at verum quoque, id per Lectores Cives fieri poſſe, immo peculiarem Studii noſtri gloriam dixerim, quod centum viginti ferme annis, a ſolis Ferrarienſibus in quacumque Facultate reſpective legentibus cumulatiſſime fuerit ſuſtentatum.

In Supplementum, & Animadverſiones ad Librum Quartum Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii.

CRiticæ pag. 44. Inſigne, & memorandum (quidquid oblatret Cenſor) eſt Univerſitatis Noſtræ decus, ac Monumentum, quod in eamdem Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, & Januenſium Reſpublica cauſam inter ipſos vertentem compromiſerint; nihilque illius pretium minuit, quod Nuncii Principum prædictorum, ac Procuratores, poſt acta quædam coram eadem Univerſitate celebrata, diſceſſerint, itaut cauſa per Ferrarienſes Doctores minime fuerit definita, nam hoc ipſis, ut notum eſt, imputari non debet. Neſcio, an credam, Guarinum Ferrarienſem eſſe qualem ſe facit, cum illum videam, frequenter adeo Gymnaſii Noſtri honores, ac prærogativas impugnare.

Criticæ pag. 45. Quærit a me facetus Cenſor, cur in fine Conſtitutionis *Hiſtoriæ Part.* 1. *pag.* 319. editæ *ſubnecterim locum, annum, & Typographum*. Id conſulto feci, indicato prius Decreto Congregationis Gymnaſii Noſtri, ſub die 20. Junii *1686.*, quo ſancitum fuerat, dictam Congregationem typis dari: Et ſic ſatisfactum puto inſtantiæ Domini Guarini.

Criticæ pag. 46. Cenſor ſcribit, Collegium Penna clauſum fuiſſe

anno

Digitized by Google

anno 1738., *ob rem judicatam favore Joannis Pennæ*, *Marchionis Alberti* (Penna) hæredis: Sed in ſe reverſus, id minime verum eſſe cognovit; proptereaque, in correctione Erratorum ad calcem Operis, ſic emendavit: *hæredis adde fideicommiſſarii*, Marchionis Alberti ſcilicet, nam hoc non correxit; & hoc pariter falſum eſt.

Eadem pag. 46. Ocaſione, qua mentionem habui de Inſcriptione, in Gymnaſii Scholis, Antonio Muſæ Braſavola Ferrarienſi Medico celeberrimo poſita, narrat Criticus, in Inſcriptionis ejuſdem probationem a D. Hieronymo Baruffaldi Librum alias laudatum, *Commentario Iſtorico della Caſa Braſavola* fuiſſe conſcriptum, ac evulgatum: addit, Librum Clementi XI. Pontifici Max. fuiſſe oblatum, ut probata videret, quæ in Inſcriptione dicebantur, eoque lecto, Pontificem eumdem conclamaſſe, Voluminis illius Auctorem *Bene ſcripſiſſe*: Hoc etiam de Angelico Doctore, ejuſque ſcriptis dictum lego. Et hæc narras, quæ eſto vera eſſent, D. Baruffaldi modeſtiam fortaſſe offendunt: *Conclamavit Pontifex*, *Bene ſcripſiſſe*! Ego ne is, qui in Amicorum laudibus nimius ſum?

Criticæ pag. 47 Cum Sacræ Scripturæ Lecturam, quæ uſque ab anno 1615. intermiſſa fuerat, anno 1721. excitatam ſcripſerim, *Hiſtoriæ meæ Part. I. pag.* 353., Guarinus noſter, *ſuperaddi debet*, inquit: *Et primus Lector*, *in hujus Cathedræ renovatione prælectus fuit Hieronymus Baruffaldus Doctor Collegiatus*: D. Baruffaldi ſummopere gratulor, quod ſollicitum adeo nactus fuerit Procuratorem; ſed pauliſper expectet, obſecro; videbit enim, proprio loco, Hiſtoriæ videlicet *Part.* 2. *pag.* 270., me ſcripſiſſe, D. Baruffaldi Sacræ Scripturæ fuiſſe Lectorem.

Eadem pag. 47. Tranſit Criticus, ad laudandum Ephemerides Rerum Almæ Univerſitatis noſtræ, per dictum D. Baruffaldi, ab anno 1725. uſque ad 1730. excluſive, conſcriptas; conqueriturque, non hoc dumtaxat, ſed aliis Criticæ in locis, quod iis uſus non fuerim, quia adiumenti plurimum, ut aſſerit, mihi attuliſſent, ad Gymnaſii Hiſtoriam continuandam, quam, ipſis neglectis, mutilam eſſe, nihilique pendendam jactitat. Ne vero, Lector, hujuſmodi Ephemerides magnum quid eſſe arbitrareris, operæ pretium duco, earumdem molem, materiemque breviter exponere. Sunt igitur Liberculi quidam paulo majores Semiobularium eorum, quos *Lunarietti da Saccoccia*, vulgus appellare ſolet, quod ad molem denotandam potius, quam ad extenuandum Operis meritum, dictum accipias, velim: Liberculorum quilibet Acta anni Scholaſtici complectitur, eorumque

copio-

Digitized by Google

copioſior (editi ſunt omnes in 12., & caractere mediocris formæ) paginas 15. integras non excedit, cum cæteri 10. tantum, vel 12. paginis conſtent. Rotuli Lectorum Juriſtarum, ac Artiſtarum, qui quotannis a Congregatione Gymnaſii Moderatrice typis dantur, & plerumque a me efformari ſolent, in Libello tranſcripti, ejuſdem quartam ad minus, partem occupant; quod reliquum eſt, infraſcriptis notionibus abſolutum videas, videlicet: ,, Tali die, Studia aperta ſunt, & Prælectionem habuit N. N. Rhetoricæ Lector Publicus: Die tali, ab N. N. Protomedico viſitatæ fuerunt Pharmacopoeæ hujus Civitatis: Die tali N. N. ſuas in Almo Gymnaſio Theſes Legales, ſive Medicas propugnavit, ſub aſſiſtentia N. N. Arguentibus N. N. & N. N. Tali die lauream in utroque Jure, ſive in Philoſophia, & Medicina, ſive in Sacra Theologia conſecutus eſt N. N. & Orationem habuit N. N. Die tali, erecta eſt nova Cathedra talis Facultatis: Tali die, vacante Cathedra tali, per Studii Congregationem, Scrutinio N. N. & N. N. poſtulantium præmiſſo, majori ſuffragiorum favorabilium numero, N. N. collata eſt: Tali die, Schola una Juriſtarum pictis Imaginibus celebriorum Lectorum ornata: Die tali, mortuus eſt N. N., & his ſimilia.

Harum autem minoris momenti notionum, quæ non me latebant, nihil prorſus indigebam, ut Hiſtoriam Studii locupletarem; earum verò, quæ alicujus ponderis ſunt, uſum feci, independenter a Liberculis Ephemeridum, cum mihi probe conſtent, utpotè qui a Secretis Congregationis Gymnaſii munere fungar, ejuſdemque Decreta excipiam, ac in Regeſtum redigam. Hæc autem, (iterum proteſtor) dicta ſint, non ad Ephemeridum vituperationem, ſed ad compeſcendam Guarini verboſitatem, ac jactantiam, ſine earum præſidio Gymnaſii Ferrarienſis Hiſtoriam integrè ſcribi non potuiſſe, garrientis.

Eadem pag. 47. Favorabile Decretum per extenſum retuli, ſub Benedicto XIII. in Romano Concilio editum, ſuper independentia Ferrarienſis Eccleſiæ a Ravennatenſi, *Hiſtor. meæ Part.* 1. *pag.* 353. *& ſeqq.* quia illud in majus Patriæ noſtræ, Sacrique ejuſdem, Magni Collegiorum Univerſitatis noſtræ Cancellarii decus cedere arbitratus ſum. Ringitur Guarinus, & a me quærit, cur, pro hujuſmodi eventu, *in unicum Eminentiſſimum D. Cardinalem Thomam Ruſum Proto-Archiepiſcopum*, Critici verbis utor, *laudes cumulem*; *anne*, inquit, *ſemper idem perpetuò fuit Ferrariæ Epiſcopus? Cardi-*

nalis

nalis Cerrus, *Taurusius*, *Paulutius*, *de Verme*, *omnes adhuc in viridi memoria ſunt*. Utique, omnes fuerunt Ferrariæ Epiſcopi, & ſanè digniſſimi; ſed eorum nullus inſigne Decretum, pro non ſubjectione Eccleſiæ noſtræ Eccleſiæ Ravennatenſi, nullus ejuſdem in Archiepiſcopatum Erectionem reportavit, quod Eminentiſſimo Ruſo feliciſſimè contigit; propterea hujus dumtaxat, cum laude, quæ, eſto Cenſori profuſa videatur, numquam tanti Principis meritis par erit; mentionem habui. Ad cætera meum non eſt reſpondere.

Criticæ pag 48. Hoc loco ſolemniter fallit, aut fallitur Guarinus, aſſerendo, *præmium ſcutorum centumquinquaginta mihi fuiſſe aſſignatum*, *pro editione Hiſtoriæ meæ a Gymnaſii Congregatione*; nam illud præmium non fuiſſe, ſed triplo majoris expenſæ a me factæ partiale ſubſidium, in Hiſtoriæ ejuſdem editionem erogandum, cantant Decreti verba. Præmium ullum Operis mei nec promerui, nec popoſci, nec conſecutus ſum, præter Criticam Guarinianam.

Criticæ pag. 49. Cæcitate mea iterum deplorata, quod Ephemeridum Studii uſum neglexerim, tranſit, earumdem ferè verbis utens, ad referendum aſſumptionem D. Baruffaldi ad Publicam Rhetoricæ Cathedram, ad excluſionem D. Joſeph Chitò I. U. D. & D. Oliverii Crivellenti item I. U. D., dicit; quod D. Baruffaldi prædictus erat Lector in Cathedra S. Scripturæ uſque ab anno 1722., & quod ſuam habuit Prælectionem in nova Cathedra, *ad quam Moderatores Gymnaſii*, *nec non magna Populi frequentia interfuere*: Item *pag*. 52. ſcribit, Joſeph. Lanzoni *Jatrophyſicum*, *ad naturalis primariam Philoſophiæ Cathedram promotum*, *Proluſionem ſolemnem habuiſſe*, *pro inauguratione ſuarum Lectionum*, & hoc factum fuiſſe, *magno rerum apparatu*, *& innumerabili populi frequentia*: quin immo addit, *hac opportunitate*, *a Cætu Amicorum*, *qui in Vineæ conventu tantum Virum colebant*, *Libellum Epiſtolarum Poeticarum* (Encyclicarum ſcilicet) *fuiſſe diſtributum*, *per quas*, *ad omnes Italiæ Academias*, *& ultra*, *tanti Amici exaltatio ſignificabatur*. At, cum Guarinus Noſter, *pag*. 49. 50. 51. 52., *&* 53. *Proluſiones* D. Bartholomæi Borſetti, Fr. Nicolai Bellaja, & Fr. Joannis Antonii Mariæ Modena Minorum Conventualium, D. Jacobi Agnella Phil., & Med. Doctoris, & Fratrum Dominici Folegatti, Angeli Dominici dalla Torre, ac Bernardi Cimegotti ex Prædicatorum Ordine, pro ingreſſu ad eorum reſpective Cathedras, refert, id compendioſe, & ſicco ore exequitur, nec legitur, *magnam Populi frequentiam*, *innumerabi-*

G *lem*

Digitized by Google

lem Populi multitudinem, ad eos audiendum, convolaſſe. Quid dicam, Critice? Non reprehendo, quod Amicos laudes, & te ipſum fortaſſe etiam, nam Perſonatum non agnoſco; hoc improbo, quod immodice, aſſentatorie, & ſupra meritum facias. Cum itaque tu hoc agendo, modum exceſſeris adeo, cur mihi non liceat, Amicorum nonnullos, vel eos, qui de me ſunt optime meriti, modeſte, extremiſque, ut ita dicam, labiis, intra veritatis fines, laudare? Ingratiſſimum te hominum credam, neceſſe eſt, dum *Criticæ pag.* 52. ſugillare me pergis, quia, *totum*, ut inquis *lacrymarum impetum ſervarim pro deflenda jactura* inopinata præclariſſimi Juriſconſulti Præceptoris mei *D. Cæſaris Pariſii Favalli*. Ego ne ejuſdem Diſcipulus, Commenſalis, Amicus, & Legatarius debuiſſem, in tam æqua dolendi cauſa a lacrymis temperare? & tu me corripis, qui *Criticæ pag.* 54. mortem D. Lanzoni Amici tui referens, hanc ſecutam fuiſſe ſcripſiſti, *Civium, & totius Univerſitatis lacrymis;* quod, quam ſit exaggeratum nemo non videt.

Criticæ pag. 52. Hic horreo, immutatam ſuper me Guarini faciem intuens, eidemque *bilem moveri* audiens, ac exaltari; cur nam, quæſo? quia, *Prima Hiſtoriæ meæ Parte* ad annum 1727., diem obitus celeberrimi D. Franciſci Mariæ Nigriſoli Philoſophi, ac Medici Univerſitatis noſtræ Primarii non adnotarim, cum alioqui tempus mortis D. Favalli poſtmodum referre minime neglexerim. Ad hoc reſpondeo, inſtituti mei non fuiſſe, Lectorum omnium emortualem diem indicare, præſertim vero in Prima Hiſtoriæ Parte, in qua de ſingularibus Lectorum perſonis mentionem facere non decreveram. Ad diem obitus D. Favalli Præceptoris mei amantiſſimi notandum me impulit grata beneficiorum tot, quæ in me contulit, memoria, quod, abſque aliorum injuria facere, mihi licuiſſe arbitratus ſum, & omnes, Guarino excepto, arbitraturos, certum habeo. Cæterum præſtantiſſimi D. Nigriſoli doctrinam ſemper maximi feci, ejuſdemque memoriam recolo, meque metipſum, non alios, exiſtimationis erga eum meæ in teſtem induco: *in Prima* enim *Hiſtoriæ Gymnaſii Parte*, *ad annum* 1700. *pag.* 323., *& ſeqq.* hæc ſcripſi: *Anno vero* 1700. *clariſſimus Medicus Franciſcus Maria Nigriſoli Philoſophiæ Lector Primarius doctiſſimum Opus ſuum de China-China typis edidit &c.* & paulo poſt: *Maxima quoque Nigriſoli ea laus fuit*, *quod*, *præ cæteris operam ſtrenue in Lycei noſtri celebritate*, *adverſus Bononienſem Academiam vindicanda*, *navaverit* : Et Hiſtoriæ Part. 2. ad annum 1672. *pag.* 251. inſignis Viri hujus Elogium dedi, quod

totam

totam fere paginam implet. Hæc oportebat Guarinum legere, antequam me accuſare præſumeret.

Criticæ pag. 53. Quod ad Scholam in ſuperiori *Palatii* Paradiſi parte recuperatam; *picturiſque*, & *inſcriptionibus* ornatam nihil in Hiſtoria ſcripſi, quia res parvi momenti viſa eſt: Si tamen Criticus notitiam hanc etiam inter Supplementa ſua locum habere velit; addam ego, Lectorum inſigniorum Juris Utriuſque, quorum Imagines in ea pictæ ſunt, nomina fuiſſe a me ſubminiſtrata. Et hæc, quo ad Primam Supplementorum, & Animadverſionum Guarini perſonati Partem; ad Secundam tranſeamus.

In Supplementum, & Animadverſiones Jacobi Guarini ad Librum Primum Partis Secundæ Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii.

Antequam ad Criticæ Particularia deſcendam, præſtat Larvati Cenſoris objectionem diluere, qua me, in tribus prioribus Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii Libris, præſertim in Primo, Lectorum Elogiis deſtinatis, auſum fuiſſe, criminatur, de nonnullis memoriam inſtaurare, quos ne ipſe quidem, de Lectorum numero fuiſſe certo affirmaverim. Huic vero accuſationi ut reſpondeam præmitto, quod in Præfationibus ad Primam, & Secundam Hiſtoriæ Partes monui, ſcilicet, ante annum 1473. Rotulos Lectorum Univerſitatis noſtræ non inveniri, quapropter fuiſſe opus, ad antiquos Rationum Urbis noſtræ Libros, &. ad Hiſtoricos tam noſtrates, quem Extraneos recurſum habere, ut apud ipſos, quot potuiſſem ex antiquioribus Lectoribus expiſcarem.

Cum itaque per obſcura tempora, Rotulis minimè prælucentibus progrediendum eſſet, etiam conjecturis agere, circa paucos ex nominatis mihi licuiſſe credidi; cumque illos doctrina celebres, ac in Civitate noſtra, & præcipuè in Aula Principum digniora objiſſe munera certò ſcirem, probabile viſum eſt, eos quoque inter Gymnaſii Lectores locum habuiſſe.

Certè videtur incredibile, Studii Moderatores voluiſſe, & graviori quidem impendio, Lectores inſignes aliunde accire, cum inter ſe haberent eruditos Viros, qui Lecturas cumulatiſſimè ſuſtinere valerent. Hujuſmodi autem fuere Catalanus Bellincini, Jacobus de Fulchis, Gerardus *della Fratta*, Joannes de Calaone, Petrus Caſella, Jacobus Gambilioni, Angeli pater, Ludovicus Sardi, quem expreſsè in Univerſitate noſtra Lectorem fuiſſe tradit Antonius Libanori,

Ferrara d'Oro part. 3. *fol.* 196. Laurentius Ochi, Panduſſus Colenucci, & Columbinus Colombi egregii Legalis Scientiæ Profeſſores, Joannes a Papia, Vitalis Ragoneſe, Vivianus de Baſſo, Franciſchinus de Verona, Alexander Bergomenſis, Gulielmus de Vignola, & Eganus Fiorini præclari Medici, Joannes de Ferraria Ordinis Prædicatorum Theologus eximius, Franciſcus Mareſchalchi magnus Philoſophus, Joannes Bianchini, ac Antonius Torquato inſignes Mathematici, & Franciſcus de Campanea, de quibus locutus ſum, *Hiſtoriæ Part.* 2. *ad pag.* 8. 9. 15. 21. 22. 23. 28. 37. 39. & 40. & quorum plures Lectorum munere fuiſſe Ferrariæ functos Auctores tradunt, in eorum reſpectivè Elogiis a me citati. Si primarios Civitatis Judices, Principum a Conſiliis, ac præclariores in quacumque Facultate Viros, Ferrariæ degentes, poſt annum 1473. inter Lectores in Rotulis deſcriptos video, id etiam uſitatum, haud ineptè infero, ante annum prædictum 1473., in quo Rotulos habere incipimus.

Cæterum oblatrantis Critici accuſatio in calumniam tranſit; non enim Viros, de quibus ſupra, Lectores fuiſſe abſolutè ſcripſi, ſed dumtaxat, id probabile videri mihi: Nec valet, ad hanc propoſitionem impugnandam, illud: *Nego conſequentiam*, quod reſpondet Guarinus *Criticæ pag.* 10. ad argumentum contra ſe efformatum, his fere verbis: *Multa obiit munera in Aula Ferrarienſium Principum Jacobus Gambilioni*, Juriſconſultus præclariſſimus; *Ergo Lector fuit in publico Gymnaſio Ferrariæ? nego conſequentiam*; nam ego, retento eodem antecedenti, infero: *Ergo Lector non fuit in Ferrarienſi Gymnaſio? nego conſequens*. Ut ſententiam meam falſam demonſtret, valide probare debet Guarinus, non tantum, quod Gambilioni, aliique laudati, Lectores non fuerint, ſed quod neque probabile ſit, eos Lectores eſſe potuiſſe. At Cenſuram percurramus.

Criticæ hujus Part. 2. *pag.* 6. §. *Petrus de Tauxiniano*. Scribit Cenſor, annum 1390. in 1309. immutaſſe; ſed Typographum corripiat potius, qui tertiam, & quartam numerorum figuram invertit.

Criticæ pag. 9. §. *Antonius de Butrio*. Affert hic Criticus Epitaphium, Butrienſi, in Porticu Sanctæ Mariæ Servorum Butrii poſitum, in quo narratur, eum Florentiæ, & Bononiæ Lectorem fuiſſe: Illud, poſt verba *Florentiæ, ac Bononiæ*, interſecat Guarinus hac interrogatione: *Non vero Ferrariæ?* Neſcio, in quam partem inſtantia hujuſmodi ſit interpretanda; in malam, non arbitror, nam Butrienſem in Ferrarienſi Univerſitate Lectorem fuiſſe certiſſimum eſt, idque

teſta-

Digitized by Google

teſtatur Pancirol. *de clar. Leg. Interpr. lib.* 3. *Cap.* 27. Hiſtoriam deinde narrat Criticus, magnificis, ac in expectationem Lectoris animum erigentibus hujuſmodi verbis, exordiendo: *Hac occaſione novum dicam de Antonio Butrio*, de Capite ſcilicet marmoreæ Imaginis Cœlii Noſtri Calcagnini, olim, *ad illius loculamentum* in Conventu Fratrum Prædicatorum Ferrariæ ornandum paratæ, clam ad Butrium translato, ac marmoreo trunco Imaginis dicti Butrienſis impoſito, idque ſe a Butrienſibus *fide dignis*, quorum recitat nomina, audiviſſe ſcribit. Aſt, poſt ſeriam adeo, & *Amicorum teſtimonio* ſuffultam narrationem, quomodo concludit Guarinus? Sic. *Quod, an veritati innitatur, me latet*: Mirum profecto novum, cujus Criticus ipſe narrator fidem extenuat!

Criticæ pag. 10. Etiam hoc loco, quo me proteſtationem factam Lectores Almi Gymnaſii noſtri Chronologico ordine referendi, minime ſervaſſe conclamat Guarinus, ſe totam Hiſtoriam meam non legiſſe apertiſſime oſtendit; in Præfatione enim Partis Secundæ ſcripſi, & litteris ſane rotundis, ut vulgo dici ſolet, quod reſpectu Lectorum ante annum 1473., cum non habeantur Rotuli, ab ordinis Chronologici exacta ratione diſcederem, his præciſe verbis: *Cæterum, quod ad Lectores pertinet, qui ante annum* 1473. *in Lyceo noſtro profeſſi ſunt, cum præciſum tempus, quo Lecturas exercuerunt, plerumque ignoretur, illos ad Eſtenſium, ſub quibus reſpective docuere, Principatus conſignabimus; quos vero in Rotulis habemus, ſub annis dumtaxat, quibus primum Rotulos ingreſſi ſunt collocabimus*. Hæc legat Criticus, deinde effutiat iterum, me emiſſam proteſtationem non ſervaſſe.

Criticæ pag. 10. §. *Scipio Mainenti*. Ea quæ circa locum, & tempus abitus hujus Epiſcopi ſcripſi, deſumpta ſunt ab Antonio Libanori, *Ferrara d'Oro, part.* 1. *fol.* 59. me citato Hiſtoriæ meæ *Part.* 2. *pag.* 12.

Criticæ pag. 11. §. *Albertus Carrara, & Jo: Paulus Caſtelli*. Ex Cathedra pronunciat ea, quæ ad probandum, iſtos in Studio noſtro Lectores fuiſſe, documenta afferuntur, *deſumpta a Bonaventura Angeli, Gyraldo Cinthio, Ugone Caleſino, & Joanne Contrario, pro ſuſpectis habenda eſſe, non quia dicti Scriptores numquam floruerint, ſed quia citata eorumdem Opera commentitia ſint, & excogitata, ac impoſita ab Alphunſo Mareſta, ab eodemque citata in ſuo Theatro Geneologico Stirpium Ferrarienſium, cui ego fidem adhibuerim*. Optime! ſunt ſuſpecta; Ergo ſunt falſa? Sed quare ſunt ſuſpecta? Quia ſunt ſuppoſita ab Alphunſo Mareſta: Quid, ſi dixerim, id gratis aſſeri.

Non

Digitized by Google

Non Guarinum pudet, Auctorem hunc carpere, ab ejus amiciſſimo D. Hieronymo Baruffaldi, *in ſua Diſſert. de Poetis Ferrarien.*; adeo commendatum; Ibi *pag.* 25. idem Alphunſus Mareſta *acuratiſſimus Rerum noſtrarum Scriptor in ejus Theatro Genealogico*: *pag.* 30. *Induſtrius Hiſtoricus*: *pag.* 42. *Noſter celebris Hiſtoricus* appellatur a prædicto D. Baruffaldi, qui eum etiam pro ſe citat *ad pag.* 26. 46. 47. *&* 58. Diſſertationis laudatæ.

Criticæ pag. 12. §. *Joannes Antonius della Torre*. Quidquid dicat Guarinus, ad inficiandum hunc Regii Lepidi Epiſcopum fuiſſe unum ex Studii noſtri Reformatoribus, contra ſe habet invincibilem probationem reſultantem ex verbis publici ſolemnis Decreti die 17. Januari 1442. editi, quod per extenſum dedi, *Part.* 1. *Hiſtoriæ meæ pag.* 47., *& ſeqq.*, in hoc etenim expreſſe legitur, fuiſſe electum Reformatorem D. Epiſcopum Reginum (tunc temporis erat Jo. Antonius della Torre). Propterea nihil relevat, quod opponit Criticus, circa incompatibilitatem dictorum munerum; de hoc enim non eſt quæſtio, ſed an vere fuerit electus Reformator, quod negari non poteſt.

Eadem pag. 12. §. *Martinus Libanori*. Temere nimis de Antonio Libanori judicat Criticus, ſupponendo illum, in propriæ Stirpis gratiam, Martinum hunc Adriæ Epiſcopum creaſſe, cum Scriptor ſit notæ integritatis, ac famæ.

Eadem pag. 12. §. *Guarinus Guarini*. Codicem Catullianum, quem Ego, *Hiſtor. Part.* 2. *pag.* 19. a Guarino Veronæ fuiſſe repertum in horreo quodam ſcripſi, Ferrariæ inventum perperam conjicit Criticus, ex mala interpretatione tertii Epigrammatis, quo dictus Codex inſcribitur, juxta, *Diar. Italic. Tom.* 12. *pag.* 364. Verſus eſt.

Scilicet a Calamis, tribuit cui Francia nomen.

Illud *a Calamis* vertit Guarinus perſonatus in Cognomentum *a Penna*; & quia hic Ferrariæ habemus Familiam Penna, fidenter dicit, Codicem inventum a Guarino fuiſſe Ferrariæ, in domo, *Franciſci a Penna*: Sed errat; verſus enim allatus potius probat, Familiam, apud quam repertus Codex, originem habuiſſe a Brixiano Territorio, cujus portio quædam *Francia curta* uſque in præſens appellatur, quia olim Francigenæ ibidem diù conſtitere, ut tradit Elias Caprioli, *Hiſtoriarum Brixiæ libr.* 5. *pag.* mihi 68. Verſionis Italicæ, ubi etiam Brixiani Civis cujuſdam de Familia *Penna* mentionem habet.

Circa editionem Grammaticæ Græcæ Guarini ejuſdem, quis non videt errorem in numerum anni, quo in lucem prodiit, irrepſiſſe,

Typo-

Digitized by Google

Typograghi culpa, qui poſtremas ejus figuras pervertendo, 1474. in 1447. commutavit? Somniat vero Criticus, objiciens, quod dixerim, Vitas Ariſtotelis, Homeri, Platonis, & Evagoræ a Guarino fuiſſe compoſitas; nam hoc non ſcripſi, ſed tantum quod Guarinus, inter cætera ingenii ſui monumenta, hæc quoque reliquit, ut legere poteſt in Elegio ipſius Guarini *Hiſtor. meæ Part.* 2. *pag.* 19. Non quæro, an verax ſit Criticus, quo ad aſſertas verſiones a Guarino factas Vitarum Homeri, & Evagoræ ex Iſocrate; mihi ſufficit, eum inficiari non poſſe, Verſiones quoque inter monumenta ingenii Virorum illuſtrium locum obtinere.

Criticæ pag. 14. §. *Antonius Torquato. Hiſtoriæ meæ Part.* 2. *pag.* 28. dixi, hunc etiam *Arquato* denominari, me reperiſſe; quapropter inutiliter repetit Guarinus, quod *verius de Arquato* appellari debuerat. Circa objectum vero, quod non fuerit Lector, ad ea, quæ paulo ſupra præfatus ſum, me refero.

Criticæ pag. 15. & 16. §. *Soncinus Bencius*. Dubitat larvatus Cenſor, an Soncinus iſte, idem ſit cum Socino Benci altero, quem *Hiſt. Part.* 2. *pag.* 130. inter Lectores anni 1519. memoro, an vero diverſus; ſed dubium deponat, nam Soncinus, de quo nunc ſermo, Ferrariæ obiit die 22. Januarii 1479. & die 23. ſepultus eſt in Eccleſia S. Dominici, ibidemque funebri laudatus Oratione, ut refert Bernardinus Zambotti, *in MSS. Rerum Ferrar. Annalibus ſuorum tempor.* ad ann. 1497. Socinum vero recentiorem hujus me filium credere, magnique Ugonis Nepotem dixi, quod Guarinus rixarum cupidus impugnare vellet, ac ſi mihi credere non licuerit; cumque nihil aliud adverſus ſententiam meam afferre valeat, ad miſerabile negativum argumentum ſe convertit, dicendo, quod de hac *affinitate* (*poſteritate* melius) nullam mentionem habuit Lilius Gyraldus *in Syntagmate XV. Hiſtoriæ Deorum Ugoni dicatæ*; ac ſi debuiſſet, in eo, Lilius completam Familiæ Benci Arborem exhibere.

Hic notandum venit, Guarinum aſſerere, Opus *de Somnio*, a Soncino noſtro elucubratum *apud ſe eſſe*, quod reſpectu aliorum Operum MSS. repetit etiam *in hac* 2. *Criticæ Part. ad pag.* 16. 17. 23. 25. 28., & fortaſſe alibi. *Apud te ſunt*, Guarine, *apud te ſunt*? Quid, ſi hæc MSS. abſolute negaverim, quid, ſi conſulere ea voluerim, ut cognoſcam, an falſa pro veris venditaveris? Quem convenire debeo, ut mihi patientiam ea legendi præſtet, cum ſub larva lateas? *Apud me ſunt*! Hoc modo, intrepide etiam jactare poſſes, *apud te eſſe* deperditas T. Livii Decades, abſque eo quod de apertiſſimo

men-

mendacio convinci verereris. Non ita vero in Criticæ progreſſu; nam *ad pag.* 42. 44. 54. 55. *60.*, & *61.*, MSS., ſeu alia Opera extare dicuntur *apud D. Hieronymum Barufaldi*, quem, pro ſumma, qua in me eſt humanitate, ea, quatenus indigerem, mihi oſtenſurum confido. Sic, cætera, quæ alijs in Criticæ locis, *hic Romæ*, ſervari dicuntur, ſaltem, per Amicorum aliquem, ſi opus fuerit, examinari poſſunt; ſed quæ *apud te* mentitum hominem, quomodo conſulam?

Criticæ pag. *16.* §. *Andreas Barbazza.* Nihil refert, quod de hujuſmodi Juriſconſulto diverſa ab ijs, quæ ſcripſi, narret Alidoſius, & quod illum Ferrariæ publice docuiſſe, non dicat; nam eorum, quæ de ipſo tradidi, teſtem habeo Guidonem Panciroli, *de clar. Leg. Interpr. lib.* 2. *cap.* 116., qui illum Ferrariæ docuiſſe perhibet, ut in Hiſtoria mea legere potuiſſet cenſor negligentiſſimus.

Criticæ pag. 17. §. *Ludovicus Carboni.* Eſto etiam duæ eſſent Orationes Cardinalis Beſſarionis *ad Italiæ Principes* a Carboni verſæ, & Liber *Elocutione Oratoria* Ludovico Carboni de Coſtaciaro eſſet tribuendus, quæro, an hæc ſint crimini mihi imputanda, ac ſi ſcriptores fere omnes, non fuerint in hujuſmodi minima non tantum, ſed etiam in deteriora prolapſi. Quod autem hic dico, pro repetito haberi volo, quo ad pauciſſimos nævos alios mihi a Guarino objectos, de quibus prudens Lector nullam habere rationem ſolet: Guarini tamen inſanabili mea mordendi cacoethi nonnihil indulgeo, ſi minima carpat, cum in magnis, ac ſubſtantialibus nihil jure carpendum invenire potuerit.

Eadem pag. 17. §. *Petrus Franciſcus Ravennas.* Guarinus, hunc unum eumdemque eſſe cum Petro Tomai, quem retuli *Hiſtor. Part.* 2: *pag.* 37. magno conatu probare nititur. Hoc ſuperfluum erat; nam ſi bene legiſſet, poſtquam ſcripſi, ab aliquibus eos diſtingui, elogium abſolvi his verbis: *Nos, ut verum fateamur, Petrum noſtrum, & Petrum Tomai unum, eumdemque eſſe credimus.*

Criticæ pag. 18. §. *Felinus Sandeo.* Etiam hic Guarinus oſtendit quam diligens fuerit in legenda Hiſtoria mea: Ejuſdem *Part.* 2. *pag.* *46.*, de Sandeo loquens, dixi, me vidiſſe in Bibliotheca D. Cæſaris Pariſij Favalli, olim Præceptoris mei rec. Mem. Viri, MS. Originale Hiſtoriæ Regum Neapolis, compendioſe a Sandeo conſcriptæ, ac Papæ Alexandro VI. dicatæ: Blaterat Criticus, opus hoc, jam typis cuſum, a me perperam MS. vocari: Bone Deus, quanta ſtoliditas! Dixi, vidiſſe me laudati Operis MS. Originale, nihil quærendo, fuiſſet ne, an non typis vulgatum.

Criti-

Digitized by Google

Criticæ pag. 19. §. *Franciſcus Mareſcalchius*. Ferrarienſem eum appellavi; Cenſor vero hoc loco Bononienſem eſſe volebat, ſed in ſe reverſus, eum vere Ferrarienſem confeſſus eſt in *Addendis ad calcem Criticæ p.* 120. Lepidiſſima profecto eſt ratio, qua probare intendebat, Bononienſem fuiſſe, nempe, *quia Bononiæ viget Nobilis Familia de Mareſcortis*; & hoc correxit in Erratorum Indice ad pag. 150. verbo *de Mareſcottis*, *de Mareſcalchis* ſubſtituendo. Hæc parvi momenti eſſe video, eaque modeſtiori Critico facillime condonarem; ſed cum hic noſter leviſſima quæque in Hiſtoria mea reprehendat, par pari reddo.

Eadem pag. 19. §. *Antonius Tebaldeo*. Nullum documentum, quo probetur, hunc Legum Doctorem fuiſſe, haberi Guarinus dictitat. Debueram ne ejuſdem Laureæ Chirographum exhibere? None ſufficit a me citatum in Hiſtoria Libanori teſtimonium, *Ferrara d' Oro part.* 3. *f.* 37.? Probet Cenſor contrarium; nam nuda ejuſdem negatio nihil auctoritatis habet.

Criticæ pag. 21. §. *Nicolaus Leonicenus*. Quia in hujus elogio, brevem Epiſtolam Leonis X. Pont. Max. ad eum datam, quam etiam Prima Hiſtoriæ Parte edideram iterum do, me corripit Cenſor, melius fuiſſe, inquiens, quod illius in locum Epiſtolas Pacii, ac Policiani ſubſtituiſſem, ac ſi in majorem Leoniceni gloriam reſultarent. Narrat deinde, anno 1700., quo Leoniceni in veteri S. Dominici Templo ſepulcrum fuit deſtructum, Nicolaum Baruffaldi ſtincum unum, mandibulam inferiorem, nec non *birretum* tanti viri furtim ſurripuiſſe, ut in ſuo Muſeo ſervaret: Quamvis Guarinus Reliquiarum hujuſmodi authenticum documentum minime exhibeat, ut morem geram, credere non abnuo. Me accuſat inſuper, quod Leoniceni Elogiam ediderim, qua ipſum fuiſſe tenuis fortunæ Virum oſtenditur; ſed audivi numquam, niſi a Cenſore noſtro Paupertatis hoſte, hanc hominibus, eorum culpa minime interveniente, dedecori eſſe.

Criticæ pag. 23. §. *Joannes Baptiſta Cananus*. Credo, cum Guarino, Librum, cui titulus *Muſculorum humani corporis picturata diſſectio*, tribuendum eſſe Joanni Baptiſtæ Canano recentiori, de quo ego *Hiſtor. Part.* 2. *pag.* 156., ibidemque hoc opus eidem abſolute aſſerui; huic autem ſeniori opus prædictum a Vander Linden, & a Mangetti adjudicari ſcripſi.

Criticæ eadem pag. 23. §. *Ludovicus Naſelli*. Me deridet, Guarinus, quoniam *Hiſtoriæ Part.* 2. *pag.* 69., & 70., de tribus Sororibus Naſelli Poetriis ſermonem habens, ſcripſerim, ut inquit ipſe, *Vir-*

H *gines*

Digitized by Google

gines adhuc peſte fuiſſe ſublatas; additque, *melius*, *&* *convenientius erat dicere*, *Adoleſentulæ adhuc*, *nihil enim damni fuit mori Virginitate ſervata*, *ſed mori in primo ætatis flore*. At ſincerus homo textum meum mutilavit, cujus en verba: *Maximum fœmineo ſexui decus ſe comparaturas pollicebantur*, *niſi Virgines adhuc*, *in primo ætatis flore*, *mors intercepiſſet*; quod concordat cum Elogio ipſis in Eccleſia S. Leonardi poſito, a me relato, ubi legitur, eas a fato fuiſſe ſucciſas, *quaſi tres Floſculos nondum in calicem debiſcentes*. Quid ergo in eo, quod ſcripſi, deridendum reperit Criticus? Negat etiam, Elogium illud umquam in marmore inciſum fuiſſe, meque falſo inſimulat, quod adhuc extare dixerim; nam inciſum fuiſſe affirmavi, ſed in præſens, non in dicta Eccleſia S. Leonardi, verum apud Marcum Antonium Guarini, *Compendio Hiſtor. delle Chieſe di Ferrara lib.* 3. haberi. Si vero numquam inſculptum eſſe vociferare pergat, contra ſe habebit, nedum Auctorem ſupra laudatum, ſed etiam D. Baruffaldi, *in Diſſert. de Poetis Ferrar.*, qui *pag.* 29., *&* 39., hoc Sororum Naſelli Elogium in marmore inciſum fuiſſe confirmat.

Criticæ pag. 24. §. *Carolus Catus*. Nihil mea intereſt quærere, an iſte ſit de Nobili Cato Stirpe, vel de minus nobili; inutilem prorſus ad rem noſtram hujuſmodi indagationem Cenſori relinquo, itemque facultatem, quæ velit, arbitrandi, dummodo hoc idem mihi liceat.

Criticæ pag. 24. §. *Cæſarius Contughi*. Neſcio, qua fronte aſſerere audeat Criticus, non probari, hunc in Gymnaſio noſtro fuiſſe Lectorem. *Hiſtoriæ meæ Part.* 2. *pag.* 74., indicavi, ut ſoleo per annos ſingulos, *Rotulum in Memoriali anni* 1479. *pag.*36., in quo dictus Cæſarius Ordinis Servorum inſignis Theologus eſt inter Lectores deſcriptus. Adhuc non credit? Me adire facile poteſt, larvatus enim non incedo, eique ſpondeo, me non dictum Memoriale tantum, ſed alia etiam omnia oſtenſurum, ut ſinceritatis meæ argumenta propriis oculis uſurpare poſſit. Quod vero Cæſarius Noſter ex Nobili Contughi Familia fuerit, ultra teſtimonium Placidi Mariæ Bonſrizieri, *Diario Sacro dell'Ordine de' Servi di Maria*, *ſotto il dì* 1. *Febraro*, oſtendunt etiam monumenta varia, in hoc Conventu Sanctæ Mariæ Servorum.

Criticæ pag. 24. §. *Antonius Franciſcus Dottori*. Hunc *Hiſtoriæ Part.* 2. *pag.* 76. Patavinum dixi, ex antiqua Nobiliſſima Dottori Stirpe ortum. At Guarinus omniſcius homo, *habeo*, inquit, *quod ulterius dicam de Franciſco hocce*. Quo pompaliter pronunciato, refert

ver-

verba memorialis cujuſdam Franciſci Dottori, viri a noſtro, toto Cœlo diſcrepantis; nam Dottori, de quo Cenſor, ſe Franciſcum, non Antonium Franciſcum vocat, Bononienſem ſe aperte dicit, exulemque a Patria una cum D.D. Bentivoglio, ſeque Cubiculi, & Domus Præfectum, ac Cancellarium aſſerit D. Eleonoræ Bentivoglio de Piis &c., quæ omnia videre neſcivit Criticus, quam male adaptari poſſint Antonio Franciſco Lectori noſtro, & quantum contraria ſint iis, quæ de ipſo ſcripſere Panciroli, *de clar. Leg. Interpr. lib.* 3. *Cap.* 52., & Papadopoli, *Hiſtor. Gymnaſ. Patav. Tom.* 1. *lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 17.

Criticæ pag. 25. §. *Antonius Maria, & Dominicus Maria Novara*. Notandum hic obiter, quod Perſonatus Noſter ſcripſit in hoc §., Dominicum Mariam Novara fuiſſe Copernici Diſcipulum: ſed opportune vel monitus, vel ad ſe rediens, in Indice Erratorum ad pag. *Criticæ* 150. verbum *Diſcipulum* in *Magiſtrum* immutavit.

Criticæ pag. 26. §. *Joannes Mainardus*. Ut addat Guarinus aliquid notabilius Elogio celeberrimo Viro huic a me conſcripto, illum Medicum fuiſſe refert immortalis Poetæ noſtri Ludovici Arioſto, *ſed multiplici remediorum pharagine* (ſunt Critici verba) *ægri ſtomacho nocumentum attuliſſe, ſtomacho enim laborabat Arioſtus*: Et hoc eſt addere laudibus inſignis Mainardi, eiuſdemque Elogium? Male etiam monet Criticus, potuiſſe me addere Epitaphio Mainardi poſito in Clauſtro Conventus S. Pauli, *Die IX.*, hac enim illum deceſſiſſe ſupponit: ſed falſo, nam mortuus eſt *Die VII.* Martii, ut habemus *in Rotulo anni* 1536. *pag.* 51.

Criticæ pag. 27. §. *Albertus Maria Valliſnerius*. Hunc legiſſe in Gymnaſio noſtro concludenter non probari, intrepide Guarinus aſſerit. Credo, Lectorum Rotulos probationem eſſe probatiſſimam, qua concludentior ulla dari non poſſit; ſed Vir iſte non legit, *Hiſt. Gymn. Part.* 2. *pag.* 92. me indicaſſe *Rotulum anni* 1492. *ex Memoriali anni ejuſdem pag.* 26. Valliſneri eſt primum deſcriptus. Indicium aliud ſummæ diligentiæ exhibet Cenſor, circa finem hujus §. ſcribens, me poſuiſſe annum 1592., quando annum 1492. apertiſſime ſignavi, unde corruit totus ejuſdem computus, cæteroquin inepte compactus. Hæc mihi objicit Criticus circa Albertum Mariam Valliſneri, a me, loco citato, inter Lectores nominatum; ſed poſtea *Crit. pag.* 115. horum oblitus, me illum præteriiſſe ſcribit, ut ſuo loco videbimus.

Criticæ pag. 28. §. *Hieronymus Ordinis Prædicatorum*. Borſelli, ut

H 2 hario-

hariolatur Cenſor, vel quiſquis fuerit Vir iſte, certiſſimum eſt, eum publice in Alma Univerſitate noſtra profeſſum, nam deſcribitur inter Lectores *Libri Memorialis anni* 1494. *pag.* 52., ut *pag.* 96. *Part.* 2. indicavi.

In Supplementum, & Animadverſiones ad Librum Secundum Partis Secundæ Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii.

CRiticæ *pag.* 35. §. *Alexander Guarinus.* Cum ſcripſerit Cenſor, Guarinum hunc verum, de Baptiſta patre ſuo loquentem, hoc ſæpe repetere conſueviſſe: *Niſi Baptiſta fuiſſet, Ego non eſſem*, prudenter ſubdit, Lectores monens, quos fortaſſe ſtipites ſui ſimiles arbitratus eſt, id *de Studiis, non de natura ſua intellexiſſe.* Deinde in dubium revocat, an notiſſimum Enigma Philippæ Varanæ adornatum, hujus Guarini ſit, ea ratione quia idem ipſum extare etiam Camerini, a Franciſco Swertio Antuerpienſi dicatur: At illud vero Guarino noſtro aſcribitur, præſertim a D. Baruffaldi, *Diſſert. de Poet. Ferrar. pag.* 27.

Criticæ pag. 36. §. *Lucas Guarico.* Legat Guarinus titulos a me relatos Operum inſignis Viri hujus, & videre poterit, an fuerit *unice Aſtrologus*, ut ineptiſſime garrit.

Criticæ pag. eadem 36. *& ſeqq.* §. *Cœlius Calcagninus.* Acriter a Cenſore corripior, eo quia ſcripſerim Cœlium, anno 1546. deceſſiſſe, cum vere *ejus mors*, inquit, *in annum* 1541. incidat: ſed quare me tantum increpat? Nonne laudatus D. Baruffaldi, in citat. *Poet. Ferrar. pag.* 15. Calcagnini mortem anno prædicto 1546. ſecutam eſſe pronunciat?

Numquam tamen ridiculum adeò ſe oſtendit larvatus Cenſor, ut in peſſima interpretatione Epigrammatis ab ipſo editi Joannis Baptiſtæ Pigna, ad Herculem Calcagnini. Nil miror, illud non intellexiſſe; hoc miror, quod Herculem Cœlii noſtri filium repente creaverit, & ad fulciendam ignorantiam ſuam, Cœlium eumdem, antequam Eccleſiaſticæ Militiæ nomen daret, maritali vinculo fuiſſe adſtrictum, probabile dixerit. *Charitatis ergo, lumen cæcutienti præbens*, hoc Epigramma Cenſori meo explicabo, utque facilius illius ſenſum aſſequi poſſit, brevem Stirpis nonnullorum ex DD. Calcagnini Arborem hic præmitto.

Fran-

Digitized by Google

Franciſcus Calcagnigni

Calcagninus. — Theophilus.

Cœlius. — Alphunſus.

Thomas.

Hercules.

Ex hac Arbore patet, quod Cœlius noſter, & Alphunſus Petrueles erant, ex Alphunſo natus Thomas, ad quem plurimæ Cœlii Epiſtolæ, a Thoma vero genitus Hercules, cui a Pigna inſcriptum Epigramma, & eſt hujuſmodi.

Parentis audiere vota Cœlites,
Illuſtris Hercules, tui.

Illuſtris Hercules, Cœlites audiere vota tui Parentis, Thomæ Calcagnini ſcilicet, qui eos oraverat, ut Herculi filio tribuerent ingenium, ac Spiritum Cœlii noſtri, vita functi.

En Spiritu beatiore doctior
In te reſurgit Cœlius.

Qui nempe fato ceſſerat.

Vigebat anteà viri hujus gloria,
Nunc vivit ipſe Spiritus.

Ideſt, antea remanſerat tantum in terris fama Cœlii, nunc vero ipſius Spiritus habitat, qui in te, *Hercules*, tranſiit, & vivit: Adverte, Guarine, tamen, Pigna noſtrum poetice loqui, ne forte putares, illum tranſmigrationem Animarum crediſſe.

O mortem inanem, ex qua ſecuta Cœlii
Jactura tantum Corporis.

Quia videlicet Spiritus Cœlii tranſiit in te, vivit in te, *Hercules*,

Digitized by Google

les, Fili *Thomæ*, Nepos *Alphunſi*, Patruelis *Cœlii* Calcagnini. Intellexiſti ne? credo, quod non. Sed non te pudet, inſulſas hujuſmodi conjecturas tuas in lucem proferre, cum præcipue adverſus te habeas Cœlii noſtri Teſtamentum, receptum die 4. Maii 1539. per Galeatium Schivazappi Ferrariæ Notarium? Credis ne, quod ſi filium ex legitima Uxore ſuſceptum Cœlius habuiſſet, illum poſtremis Tabulis præteriiſſet; Cœlius pater, Cœlius gratus adeo, ut ipſi ſeniori, Mulæ ſuæ ſuper qua per Pannoniam, Germaniam, Sarmatiam, multaſque Italicæ partes equitaverat, ut in Hiſtoria ſcripſi optima, ad vitam, alimenta teſtamento reliquerit?

Hæc, Guarine mi, ſomnia ſunt, & deliramenta

Etiam ſi verum ſit, Elegiam *de Moribus Scytharum* alias editam reperiri, gaudeo illam me iterum edidiſſe, ex Codice Finiano MS. tranſumptam, ob loca multa, in quibus diſcrepare dicitur ab eadem, editionis Valgriſianæ; quænam vero lectio corruptior, aut emendatior ſit, virium tuarum non eſt judicare.

Criticæ pag. 39. §. *Peregrinus Priſciani*. Hoc loco dicit Cenſor, *in Bibliotheca Eſtenſi ſex, vel ſeptem Volumina autographa Priſciani bujus ſervari*, illud impugnando, quod ſcripſi *Hiſtor. Part.* 2. *pag.* 125. nempe Priſciani Opera periiſſe, paucis tantumodo fragmentis ad hæc uſque tempora reſervatis. Contrarium vero affirmavit *Criticæ Part. I. pag.* 31. *linea penult.*, ubi *Scripta*, (Priſciani) *magna in parte deperdita ſunt, & per fragmenta tantummodo reperibilia*.

Eadem pag. 39. §. *Fr. Vincentius de Vincentia Ord. Prædic.* Et hunc etiam non apparere, Lectorem in Gymnaſio noſtro fuiſſe, Guarinus ſcribit. Non apparet? Ipſe non legit, me *Part.* 2. *Hiſtoriæ pag.* 129. indicaſſe *Rotulum in Memoriali anni* 1519., ubi primo deſcribitur.

Criticæ pag. 41. §. *Antonius Muſa Braſavola*. Quæ dixi de hoc inſigni, totoque Orbe celebratiſſimo Viro, me mutuatum a D. Baruffaldi hariolatur Guarinus; nam alii Auctores multi de ipſo loquuntur, quos in calce Elogii ejuſdem citavi; immo, cum in hoc §. ſcribat, me circa aliqua cum Baruffaldi non convenire, adverſus ſe probat, me a laudato Auctore nihil accepiſſe. Verum eſt, Braſavola noſtrum floruiſſe ſub Hercule, & Alphunſo Ferrariæ Ducibus; quorum neutri numerum I., vel II. adjeci; nam ultimo ſub Hercule II., antea floruit ſub Alphunſo I., qui deceſſit anno 1534. ætatis Braſavola noſtri 34., juxta computum Guarinianum.

Criticæ pag. 42. §. *Lilius Gregorius Gyraldus*. Gratis aſſeri, hunc

in

in Univerſitate noſtra fuiſſe profeſſum, dicit Cenſor. Ego vero teſtem dedi Antonium Libanori, *Ferrara d'Oro Part.* 3. *fol.* 119., Eſt ne hoc gratis aſſerere? Hoc §. latiniſſimus idem Cenſor ſcribit, *Opus Simeonis Sethi Magiſtri Antiocheni de Cibariorum facultate, peſſime a Georgio Valla fuiſſe in latinum translatum.*

Verum eſt, quod obſervat Criticus, in calce Epitaphii Lilii noſtri, a me relati *Hiſtor. Part.* 2. *pag.* 140. erratum eſſe in numero annorum ætatis Lilii ejuſdem: qui in marmoreo Epitaphio, non XXII., ſed LXXII. eſſe reperiuntur, Typographi enim culpa, L. numeralis littera fuit omiſſa: Cum Lilium anno 1530. in Studio noſtro Lectorem deſignaverim, & Epitaphium poſitum fuerit anno 1550. quis me ſtolidum adeo putet, ut eum Lectorem fuiſſe crediderim ætatis ſuæ anno ſecundo.

Criticæ pag. 44. §. *Cinthius Jo: Baptiſta Gyraldus*. Hunc appellavi Conſanguineum Lilii Gregorii Gyraldi, tu, Guarine, Gentilem fuiſſe ais: Fuerit; hæc ne grandis cenſuræ materies?

Eadem pag. 44 §. *Ludovicus Pellizzarius*. Si Guarinus, hunc fuiſſe Gymnaſii noſtri Moderatorem, ideſt *Scholarium Rectorem*, intelligat, quod dicere voluit Albertus Lollio, ab eo citatus, lubens concedo; fuit enim Rector Univerſitatis Scholarium Artiſtarum, ut ſcripſi *Hiſtor. Part.* 2. *pag.* 14., & apparet *ex Rotulo in Memorial. Anni* 1533. *pag.* 44.: Si vero illum Gymnaſii *Reformatorem* fuiſſe credat, falſum credit, mihique fruſtra obtrudere ſatagit. Et hic diſcere poterit Guarinus, qui me alias corripuit, quoniam uſus ſum verbo *Reformatoris*, cum illud, arbitratu ſuo, *Moderatoris* adhibere debuiſſem, terminum *Moderatoris* magis latum eſſe, & *Scholarium Rectoribus* etiam applicari, *Reformatoris* verò ſtrictiorem, tantumque eorum proprium, qui una cum Judice, & Sapientum Magiſtratu Rerum Studii noſtri curam habent.

Criticæ pag. 45. §. *Marcus Antonius Antimachus*. Quid comminiſcitur, ſomniator noſter? Legat iterum Viri hujus Elogium, *Hiſt. meæ Part.* 2. *pag.* 145. Quandonam dixi legiſſe illum publice per annos viginti? hoc dicit Epitaphium, ipſi in Templo D. Franciſci hujus Civitatis poſitum; Ego vero ſcripſi, illum publice fuiſſe profeſſum ab anno 1533. uſque ad 1545., & non ultra, teſtantibus Rotulis, de quorum fide nemo ſapiens dubitare poteſt.

Criticæ pag. 49. §. *Franciſcus Viſdomini*. Auctores, qui annum obitus celebris Viri hujus fuiſſe 1575. ſcripſere, in ejus Elogio, *Part.* 2. *pag.* 160. *Hiſtoriæ meæ* indicavi, præcipue verò Antonium

Liba-

Digitized by Google

Libanori, *Ferrara d'Oro Part.* 3. *fol.* 100., aſſerentem, illum deceſſiſſe die vigeſimanona Octobris anni prædicti.

Criticæ eadem pag. 49. §. *Vincentius Maggi*. Dubito, an Cenſor meus legere ſciat; ſed fortaſſe larva, qua vultum celat, impedimento eſt: In Maggi Elogio, quod habetur *Hiſtoriæ Part.* 2. *pag.* 161., dixi, Papadopoli *in Hiſt. Gymnas. Patavini* ſcribere, eum Patavij deceſſiſſe circa annum 1543. ego autem aperte tradidi, Maggi prædictum Ferrariæ publice profeſſum fuiſſe in Medicinæ Cathedra *ab anno* 1544. *uſque ad* 1564., quod a Rotulis habeo.

Criticæ pag. 51. §. *Peregrinus, & Olimpia Fulvia Morati*. Etiam hic negare audet Cenſor, Peregrinum inter Studij noſtri Lectores habuiſſe locum, non attento, *quod Hiſt. Part.* 2. *pag.* 165. Rotulum, de more, indicaverim, in quo ille, aliiſque Lectores, qui anno prædicto legere exorſi ſunt, deſcribuntur: Ita, Domine; Morati, in Univerſitate noſtra Rhetoricæ, & Græcorum Poetarum Lecturam exercuit.

Criticæ pag. 52. *Naſcimbænus Naſcimbænius*. Et Naſcimbænum noſtrum a Lectorum Albo eradere Guarinus vellet; ſed, quidquid obnitatur, minime poterit; nam vere in Rhetorices, & Poetarum Cathedra Lector fuit ab anno 1548. uſque ad 1557., ut invincibiliter probant *Rotulus memorialis anni prædicti* 1548., a me indicatus *pag.* 169. *Part.* 2. *Hiſtoriæ meæ*, & alij ſequentes.

Criticæ pag. 53. §. *Jacobus Antonius Bonus*. Bona Cenſoris venia, Lector iſte a Rotulis, quibus magis quam ipſi fidem adhibeo, Patavinus vocatur; eoſque, ſi conſulere velit, gratis oſtendam.

Eadem pag. 53. §. *Bonaventura de Angelis*. Cauſam *deſertionis a Patria* (ſic latinus Cenſor) Angeli noſtri aperiens, dicit, eam fuiſſe *ſuſpicionem hæreſis*; *conſtare tamen apud Tribunal S. Officij Ferrariæ de ejus reſcipiſcentia*. Suſpicio, Guarine mi, etiam in virum innocentem cadere poteſt, ſed *reſcipiſcentia* certo ſupponit præceſſiſſe delictum.

Eadem pag. 53. §. *Alexander Naſelli*. Lector iſte, qui deſcriptus eſt primo in Rotulo anni 1552., & legere deſijt anno 1557., ſepultus eſt in antiquo Templo S. Mariæ Servorum, ut retuli, *Hiſtor. Part.* 2. *p.* 175., ubi Marci Antonij Guarini teſtimonium induxi: Hallucinatur Criticus, clamitando, ſepultum fuiſſe in Eccleſia S. Mariæ a Roſa; nam Alexander Naſelli in ea depoſitus ab hoc alter eſt, eoque recentior, ut videre poterat in Catalogo Doctorum utriuſque Juris, quem dedi in fine dictæ *Part.* 2. *pag.* 489., ibi enim

repe-

Digitized by Google

reperiſſet Alexandrum ſuum deſcriptum inter eos, qui anno 1579., & infra, Lauream ſunt conſecuti: Id ultra, non eſt bona argumentatio: *Illi de Naſellis habent ſepulcrum in Eccleſia S. Mariæ a Roſa; ergo Alexander Naſelli in eo ſepultus fuit.*

Criticæ pag. 54. §. *Joannes Baptiſta Pigna*. Hominem, Guarine, tui audaciorem vidi neminem, qui omnium fere inſcius, mecum temere contendere præſumas circa res, de quibus in Tabulario Civitatis noſtræ certiſſima extant documenta, a me pluries lecta, & fideliter in Gymnaſij Hiſtoria indicata, quæque oſtendere dubitanti paratus ſum, ratione etenim Publici muneris mei, omnia ſub cuſtodia habeo; mirorque magis, quod eorum, quæ numquam videris, veritatem impugnare non erubeſcas. In Elogio Pigna noſtri, dato *Hiſt. Part.* 2. *pag.* 176. ſcripſi, & veriſſime, eum anno 1552. ad Rhetorices, & Poetarum Græcorum Cathedram fuiſſe aſſumptum, indicando, *pag. antecedenti*, nempe 175. Rotulum Memorialis dicti anni 1552., in quo ad pag. 64. quemadmodum etiam in pluribus ſequentibus, uſque ad annum 1575., eſt deſcriptus; tu vero, obdurata facie negas, Pigna ad eamdem Cathedram anno prædicto 1552. evectum fuiſſe, illudque contigiſſe ais anno 1545., addens: *nam illo anno Tribunitiam poteſtatem gerebat Ferrariæ Jacobus Trottus, ſub quo Pigna Cathedram aſcendit.* Quis tibi nugator hæc vendidit? Adverſus Rotulos pugna, ſi potes.

Criticæ pag. 56. §. *Jacobus Mandelli*. Scripſi hunc ab Hercule II. Ferrariæ Duce conductum, ut publice in Ferrarienſi Univerſitate legeret, id autem, morte præventum efficere non potuiſſe. *Ergo fuit Lector in ſpe*, infert Criticus, *ergo non debuerat inter Lectores enumerari*, *quemadmodum non recenſuiſti Joſeph Florentinum Vaccari Gioja*, quoniam, morte præocupatus, Cathedram conſequi nequivit. Strenuiſſime, Guarine mi; ſed dico, paritatem non currere; nam mentionem Vaccari inter Lectores non habui, quia hic vere erat Lector tantum *in ſpe*, quam fruſtravit mors; de Mandelli non ita, quia, *non in ſpe*, ſed erat vere Studii noſtri Lector jam electus: Cæterum, memoriæ infirmæ admodum mihi videris, cum non reminiſcaris, te, *hujus Criticæ Parte* 2. *pag.* 31. me corripuiſſe, eo quia mentionem non fecerim Julij Scoto Ferrarienſis, *propter laudem illi derivatam*, alijſque, *a ſpe etiam remota Cathedram Magiſtralem in Univerſitate noſtra aſcendendi.*

Criticæ pag. 56. §. *Baptiſta Guarinus*. Mentitus Guarinus Cenſor, ab hoc vero prorſus diſſimilis, caſtigat etiam, quæ numquam

Digitized by Google

ſcripſi. Haud memini, aſſeruiſſe me, Baptiſtam in Univerſitate noſtra Moralis Philoſophiæ Lectorem fuiſſe, nec ſepulcrum magnificum eidem Venetijs fuiſſe conſtructum; ſcripſi tantum, illum *ſepultum fuiſſe magnificis exequiis*, ut videri poteſt in ejus Elogio.

Criticæ pag. 57. §. *Joannes Franciſcus Cremona*. Quis non videt, errorem, in deſignatione anni emortualis Viri hujus, Typographo, non mihi tribui debere, nihil enim facilius, quam numerorum figuras invertere? Negare non poteſt Cenſor, niſi adverſus ſe ipſum pugnare velit, cum *Criticæ pag.* 69. §. *Jo: Jacobus Orgeatius* ſcriptum inveniatur, Orationem, ab hoc in Joannis Franciſci morte recitatam, typis Ferrariæ datam fuiſſe *per Baldinum* anno 1493. quando 1593. ſignari debuerat.

Criticæ pag. 58. §. *Antonius Maria Parolari*. Gratis ſcribit Cenſor, omnia, quæ a me dicta ſunt de hoc Parolari, tribuenda eſſe Antonio Mariæ *Parolini*; nam idem, & unum Cognomentum eſt, & in principio Elogij inſignis hujus Medici *Hiſt. Part.* 2. *pag.* 183. id confirmavi, ſic ſcribens: *Antonius Maria Parolari*, *alias Parolini*, ſed Criticus legere neſcivit.

Criticæ pag. 59. §. *Pyrrhus Ligorius*. Scripſi, velle me de Viro hoc eximio inter Lectores Univerſitatis noſtræ mentionem facere, quamvis fortaſſe Lector non fuerit: non me corripiat Guarinus, ſed laudet potius ſinceritatem meam.

Criticæ pag. 60. §. *Joannes Emylianus*. Guarinus ipſe mei Cenſor naſutiſſimus pandat illius nomen, ſub quo in lucem prodiere *Tabulæ Rerum Meteorologicarum* Joannis noſtri; ſed neſcit. Academiæ *Serenorum*, cujus Emyliani auctor fuit, mentionem habui *Part.* 1. *Hiſt. Gymnas. pag.* 233., non itaque de me conqueratur, ac ſi id omiſerim, ſed de ſe potius, quod locum citatum non legerit. Riſum tandem quis teneat, ad hæc Cenſoris verba: *Cæterum ad opus Emyliani de Ruminantibus*, *addendum*, *ſervari Codicem hunc apud Baruffaldum adnotationibus ſupra medietatem cumulatum manu authoris*. Et ego tenebar hæc ſcire, & addere Hiſtoriæ meæ? Suaviorem hominem quis audivit umquam!

Criticæ pag. eadem 60. §. *Torquatus Taſſus*. Notabiliſſimum eſt, quod, hoc loco, de Torquato ſcribit Guarinus, illum nempe in Univerſitate noſtra Lectorem fuiſſe, *non tantum honoris cauſa*, *ſed etiam lucri*: Credo equidem: Et hanc rationem addit: *tunc enim ſatis anguſtæ erant res domus ſuæ*: Heus, Guarine; *eſt ne laude digna manifeſtatio rei domeſticæ ſatis anguſtæ apud Virum adeo inſignem*,

Fami-

Digitized by Google

Familiæ adeo illuſtris? Sic adverſus me loqueris *Criticæ Part.* 1. *pag.* 31., ubi de Baptiſta Guarini Seniore mentionem habeo, & *Part.* 2. *pag.* 22. ubi de Nicolao Leoniceno: *Elegia Leoniceni omitti poterat, per quam tantus Vir rei domeſticæ ſatis inops demonſtratur, nihil enim decoris illi tribuit, cum tanta, qua fulgebat, Sapientia, adeò exiguum patrimonium comparare valuerit.* Vide, obſecro, quam debili ſis memoria, quam prompta ſim ego. Me deinde *de falſo* falſiſſime arguis, eo quia Torquatum ex Bernardo Taſſo, & Portia Roſſi *Conjugibus Bergomenſibus* natum ſcripſerim: Forſitan negare audes, uxorem in Viri Familiam, Cognomentum Patriamque tranſire, unumque idem cum eo effici? Cum Parentes Torquati *Conjuges* dixerim, Patriam quoque indicare volens, nonnè debueram illam Viri, qui Conjugii Caput eſt, anteferre? nonnè Bernardus Torquati noſtri pater erat Bergomenſis? Et hoc eſt *falſum dicere*? & hoc mihi a te objicitur, qui uſque in nomine *te falſum* fateris? Ad futilia cætera, quæ in hoc eodem §. emendare, aut ſupplere credis, hoc tantum reſpondeo, me Auctores, a quibus ea, quæ ſcripſi mutuatus ſum, in Elogii Calce indicaſſe.

In Supplementum, & Animadverſiones ad Librum Tertium Partis Secundæ Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii.

CRiticæ *pag.* 65. §. *Cæſar Cremoninus.* Eo quia Cenſor non legerit, Cremonini noſtrum fuiſſe Juris Utriuſque Laurea decoratum, nec in Albo Doctorum *Juriſtarum* deſcriptum videat, non ſequitur I. U. Doctorem non fuiſſe; potuit enim id obtinuiſſe alia in Univerſitate. Sed legat Antonium Libanori *Ferrara d' Oro*, Part. 1. *fol.* 75. ~~qui ſcribit~~ Cremonini in Bononienſe, noſtraque Univerſitatibus, Studio Legalis ſcientiæ operam dediſſe, & in eadem Lauream conſecutum; deinde vero ſe totum Philoſophiæ mancipaſſe.

Criticæ pag. 66. §. *Alexander Galvanus.* Hunc Ferrarienſem dixi, quamvis ex Centi Oppido, Ferrarienſis Ducatus: At, quod magis eſt, Marcus Aurelius Galvano Alexandri filius eum, non *Centenſem*, ſed *Ferrarienſem* appellat in Epitaphio, eidem Patavii poſito, quod per extenſum dedi *Hiſtor. meæ Part.* 2. *pag.* 207. Eſt ne hoc ſatis, ad os Cenſoris obſtruendum?

Eadem pag. 66. §. *Petrus Mazzolanius.* Hoc loco Guarinus, alios laudari, qui ex intimis ſuis non ſunt, minime ſuſtinens, non tantum me carpit, quia occaſione Mazzolani hujus, Julium Mazzolani,

Digitized by Google

viventem, ſed etiam Viventes alios laudavi, aliis omiſſis, contra proteſtationem a me factam *Hiſtor. Part. 2. pag.* 255. *Me ſcilicet temperaturum ab eorum laudibus, qui adhuc in humanis agunt, ne potius quam vera dicere, gratiæ captandæ ergo loqui videar*. Ita eſt; promiſſa ſervavi, & ſi Hiſtoriam meam percurret Cenſor, agnoſcet, me, ex pluribus Viventibus, quos in ea commemoravi paucos, immo pauciſſimos, & ſemper infra merita, laudaſſe. Cur mihi non licuerit, hoc tenue grati animi argumentum, in eos præſertim exhibere, qui eſſent de me optime meriti? Guarinus ipſe, qui id mihi vitio vertit, vellet in Hiſtoriam meam introducere Supplementa quædam ſua, laudibus viventium Amicorum referta adeo, ut *nauſeam moveant*: Expendat, quantum interſit inter aſſentationes ſuas, & laudes meas. Addo, quod viventes Viri, extra numerum Lectorum, fuerunt incidenter, ſub aliorum reſpective Elogiis nominati; commemoravi autem, quia inter Ferrarienſes Scriptores (ſunt etenim) locum habere promerentur; ſed illos in Indicem ad Calcem Operis non retuli, quia ſunt obiter recenſiti. Cæterum ſi alii hujuſmodi generis occurriſſent menti, ipſorum quoque mentionem feciſſem.

Criticæ eadem pag. 66., & ſeqq. §. *Joannes Marius Criſpus*, & §. *Primo igitur ad Librum quartum Crit. ejuſdem pag.* 107., *& ſeqq.* De Equite hoc, Almi Studii Reformatore, ac Alphunſi II. Ferrariæ Ducis a Conſiliis, ſcripſi, in Templo P. P. Societatis Jeſu, ac in facello Annunciationis Deiparæ Criſpi Sepulcrum cerni, cum Inſcriptione, quæ incipit: *Jo: Mariæ Criſpi &c.* non dixi illum fuiſſe ibi tumulatum, quapropter Critici cenſura, ac doctrina circa hoc Sepulcrum, ejuſque locum, inutilis redditur. Scripſi etiam, Joannem Mariam, tamquam Gymnaſii Reformatorem, deſcriptum reperiri in fronte Rotuli anni 1584., quod veriſſimum eſt, nec aliud, ante prædictum, in Publicis Libris, de hujuſmodi Criſpi munere, documentum reperi: Hic autem loquendi modus non excludit, electionem ejuſdem in Reformatorem potuiſſe annum 1584. ſupra deſignatum præcedere.

Ad illud vero, quod per Cenſorem objicitur, me, dumtaxat in Catalogo Juris Utriuſque Doctorum, de vivente Hieronymo Criſpi Ravennæ Archiepiſcopo, tot muneribus in Romana Curia, alibique cumulatiſſime perfuncto, Operumque a Cenſore eodem indicatorum Auctore, mentionem habuiſſe, ingenue fateor, doleoque, Præſulem digniſſimum, cujus nobilitatem, Sanctimoniam, Doctrinam maximi feci ſemper, ac facio, me præteriiſſe inter Noſtrates Scriptores referre, quia memoria infida animi potentia decepit me: De Euſtachio

fratre,

Digitized by Google

ſratre, de Franciſco nepote, merita cum laude, in Hiſtoria mea, locutus ſum; me idem, de Hieronymo ſplendidiore Criſpi Familiæ lumine factūrum fuiſſe quis non credat?

Criticæ pag. 70. §. *Leonardus Salviatus*. Audi, Lector, bonum Ferrarienſem Guarinum! Sic ille: *Mirum, & inauditum dictu, Equitem hunc Lectoris munere functum fuiſſe in Ferrarienſi Gymnaſio!* Mirum? Forſitan Univerſitas noſtra inter Europæ inſigniores locum ſibi non vindicavit ſemper ac vindicat? Lectores, in quacumque Facultate, ſummæ Doctrinæ Viros tam Cives, quam Extraneos non habuit? Mirum eſt, quod tu Equitem Salviati docuiſſe in hoc Gymnaſio, negare præſumas, adverſus firmiſſimam Rotuli anni 1588. auctoritatem, quam *pag.* 212. *Hiſtor. Part.* 2. in teſtimonium adduxi. At, *pag.* 120. ſub titulo: *Addenda, vel mutanda*, reſcipuiſti; ſcribis enim: *Ex noviter per me deductis* (*viſis*, dicere debueras, nam nihil deduxiſti) *dicta omnino immutare opus eſt. Vere in Ferrarienſi Gymnaſio Salviatus Lector fuit*. Laus Deo, fateris tandem; ut tamen aliquid de more, garrias, addis, *Salviati hunc natione Florentinum indubitanter haberi debere*, *ſed non ex locupletiorum Salviatorum Familia*, hocque probare ſatagis; ſed quid hæc ad Studium noſtrum? quid refert, quanam ex *Salviatorum Familia* fuerit? Nihil quoque ſcire intereſt a quo die, ac menſe, anni initium Florentini deſumant: Doctrinæ hujuſmodi extra locum ſunt.

Eadem pag. 70. §. *Bernardinus Percivallus*. Haud perperam ſcripſi, Orationem a Percivaglio habitam fuiſſe in Gymnaſio noſtro anno 1589., nam annus hic Scholaſticus initium, de more, habuerat menſe Octobris præcedentis anni 1588.

Criticæ pag. 71. §. *Galeatius Landrini*. Catalogus Doctorum Juriſtarum, a me *in fine* 2. *Part. Hiſtoriæ* editus, meus non eſt, ſed ab illo Collegii fideliter tranſcriptus; propterea male ſcribit Criticus, quod Ego Landrini Noſtrum in eo non deſcripſerim: Dicendum igitur, hunc alibi Lauream in Jure Utroque fuiſſe conſecutum.

Criticæ pag. eadem 71. §. *Octavius Magnaninus*. Quod fuerit Legum Doctor, ſcribit Antonius Libanori, *Ferrara d'Oro part.* 3. *fol.* 219., quem teſtem dedi *Part.* 2. *Hiſtor. Gymnaſ. ad pag.* 218. Hujus auctoritatem Cenſor impugnet.

Criticæ pag. 72. §. *Ludovicus Panninus*. Negat hoc loco Guarinus, ullam mentionem fieri de eo in Compendio Rerum Centenſium Joſeph Mariæ Pannini; deinde *pag.* 121. negationem retractat, & dicit vere Ludovicum, in dicto Compendio *recordari*, longe melius

memo-

Digitized by Google

memorari: O diligentiſſimum Cenſorem, qui neſcierit Virum hunc, in breviſſimo Liberculo nominatum, primo invenire!

Criticæ pag. 73. §. *P. Antonius Roſini a Valle Tridentina*. In Opere a Cenſore citato, Roſini, ex Minoribus Conventualibus, ſe Ferrarienſem dicit, quia erat Conventus S. Franciſci Ferrariæ filius; Cæterum Vvadingo, aut Franchini, locis a me indicatis, in ejus Elogio, vel ambo, nam eos ad manus non habeo, in Valle Tridentina ortum ſcribunt.

Criticæ pag. 74. §. *Claudius Acchillini*. Guarinus noſter, ex Alidoſio hunc credit cujuſdam Clearchi Acchillini filium, natumque anno 1594. & hoc ſuppoſito, impugnat, quod in ejus Elogio *Part.* 2. *pag.* 226. *& ſeqq.* ſcripſi, nempe mortuum eſſe anno 1640., ætatis ſuæ *66.*; non enim Annorum *66.*, ſed 46. tantum deceſſiſſet: Ita Criticus; Ego vero nego ſuppoſitum, quod Acchillini iſte fuerit ille Clearchi filius natus anno 1594., de quo Alidoſius; nam cum anno 1609., ut ex Rotulo, a me citato, ad Primariam Juris Civilis Cathedram ſit conductus, ſequitur, illum, tunc temporis nondum decimumquintum ætatis annum attigiſſe: Adde, quod, antequam ad nos tranſiret Claudius, publice juxta Alidoſium, Bononiæ docuerat, quæ omnia Guarini ſententiam non falſam tantum, ſed ridiculam prorſus oſtendunt.

Criticæ pag. 75. §. *Antonius Tapioli*. Cujus erat? inquit Cenſor, *de Lojano*. Optima, & valde relevans notio!

Criticæ pag. 76. §. *Cornelius Pannini*. Hunc quoque Cenſor dixerat in Compendiolo Rerum Centenſium Joſeph Mariæ Pannini, non commemorari, ſed *pag.* 121., aſſertum retractavit.

Eadem pag. 76. §. *Auguſtinus Ghedini*. Poſtremum ex Familia ſua hunc obijſſe ſcripſi; ſed adverſatur Criticus hiſce verbis: *An hic poſtremus fuerit Stirpis ſuæ non ita facile probari poteſt, cum neque illius ordo, ſeu gradus ignoretur: neque ignoretur*, (pro *neque notus ſit*.) Ratio autem propter quam impugnat ſententiam meam eſt, quia *tum Ferrariæ, tum Bononiæ vivant non pauci ejuſdem cognominis*, quæ quantum roboris habeant, nemo non videt.

Eadem pag. 76. §. *Livius Zacrius*. *Chienſem* patria appellavi. *Chium* me ſcribere debuiſſe ait Guarinus. *Ceſenas, & Ceſenatenſis, Ravennas, & Ravennatenſis, Italus, & Italicenſis, Hiſpanus, & Hiſpanienſis &c.*

Criticæ p. 78. §. *Franciſcus Bernius*. In hoc §. ſcribit Cenſor, Franciſcum noſtrum *ſeptem identidem Uxores duxiſſe;* quod an proprie expreſſum ſit dubito.

Cri-

Criticæ pag. 80. §. *Hieronymus Raynaldus*. Addit Guarinus, *forſaſſe Cæſar appellabatur*. Non, Domine mi; certiſſime vocabatur Hieronymus, & hoc nomine deſcriptus eſt in Rotulis.

Eadem pag. 80. §. *Franciſcus Toſinus*. Eum ſepultum ſcripſi in Templo S. Dominici: Se opponit Criticus, &, ex libro Officii Bullettarum, dicit, Medicum in dicto Templo depoſitum fuiſſe Dominicum Franciſcum Tuſini, non Franciſcum: Utilis ſane obſervatio. Vel idem erat, ut puto, duplici hoc nomine appellatus, & verum eſt, quod ſcripſi; vel ab eo alter, & hunc non fuiſſe ſepultum in Templo S. Dominici, probare debet.

Eadem pag. 80. §. *Dionyſius Borſettus*. Hoc loco apertiſſime oſtendit Guarinus, quam malæ Fidei Scriptor ſit: Audi, Lector, ejuſdem verba, tamquam ab ore meo prodierint, ſic abſolute pronunciata: *Moderari poterant encomia, & verba illa; inſignis, eloquentiſſimus, magnus, diſertiſſimus &c. quæ in cauſa Patrui, non bene ſonant*: Ita Guarinus. Audi nunc verba mea, in ejus Elogio, quod dedi *pag.* 246. *Part.* 2. *Hiſtoriæ Gymnaſii*: *Theologus, ut fertur, inſignis, fuit enim ea ætate Concionator eloquentiſſimus, illumque Roma, Venetiæ, Senæ, Vincentia, Urbs tandem noſtra e ſuggeſtu dicentem, haud gravate audire*: *Sed & in funere Eminentiſſimi Franciſci Mariæ Macchiavelli Ferrariæ Epiſcopi, diſertiſſimam habuiſſe Orationem, dicitur:* Hæc ſcripſi ego, citavique Antonium Libanori, qui *Ferrara d' Oro, Part.* 1. *fol.* 142. de Dionyſio copioſius loquitur. Fuerunt ne verba mea fideliter a Critico relata? Laudibus Borſetti hujus addidi *ut fertur, dicitur*, ſed ſincerus Guarinus noſter hæc occultat, ut poſſit petulanter malignari, nec advertit, impudentiſſimam impoſturam ſuam a verbis meis prædictis aperte convinci. Sed quis inſcitiam, ſeu potius ſtoliditatem Cenſoris non miretur, qui Dionyſio noſtro titulum *magni* tribuiſſe clamitat, quia illum mei *Patruum magnum*, ut vere fuit, appellavi: *Magnus* hoc loco, Guarine mi dulciſſime, non eſt terminus ſignificans magnitudinem, & laudem; ſed refertur ad Patruum, *Patruus magnus*, qui eſt gradus propinquitatis. Et alios corripere audes! Ad illud vero quod ſubdis, encomia, quibus ego proſequor Civitatem, Univerſitatem, Collegia, inſigneſque Viros, nihili facienda eſſe, *tamquam nullius ſignificationis*, reſpondeo, me ex eorum numero non eſſe, qui inanium laudum mercimonium exercent.

Criticæ pag. 84. §. *Joannes Petrus Ferrarienſis*. Non ſcripſi *Ferrarienſis*, quia hic terminus Patriam deſignat, ſed *Ferrareſi*, quod

eſt

Digitized by Google

eſt Cognomen Familiæ Joannis Petri; fuit autem Philoſophiæ & Medicinæ Doctor.

Eadem pag. 84. §. *Octavius Capelli*. Poterat Cenſor tacere de loco Sepulcri Lectoris hujus, cum neſciat, in utra Eccleſiarum recenſitarum ſit tumulatus.

Criticæ pag. 85. §. *Jacobus Minius Ronchegallius*. Poſtremum Cognomentum non illi obvenit, ratione hæreditatis, a Communi Ferrariæ, ut aſſerit Cenſor, ſed ab ipſa Hæreditate Roncagalli, quæ illi fuit a Communi Ferrariæ aſſignata.

Eadem pag. 85. §. *Jo: Franciſcus Ferri*. Ferrarienſem dixi, quia, tamquam Ferrarienſis, Juris Utriuſque Lauream in Collegio noſtro obtinuit, ut videre poterit Guarinus in Catalogo Doctorum Juriſtarum *Hiſtor. Part.* 2. *pag.* 493.

Criticæ pag. 85. §. *Hic Borſettus*. Epocha ab anno 1680. infra non claudicat, ut videtur Cenſori Guarino; falſum enim eſt, non cognoſci, quinam ex Lectoribus, poſt eam, memoratis viverent, vel non, tempore editæ Gymnaſii Hiſtoriæ, nam ſi leget, etiam *abſque conſpicillorum ope*, videbit, me ſingulos, qui in vivis agerent, indicaſſe, addendo *Vivens*, *vivit adhuc*, vel his ſimilia; ex quibus ſapiens Lector facile intelligit, cæteros, qui vivere non dicuntur, jam deceſſiſſe. Inutile igitur eſt, & inane quidquid circa rem hanc effutit Criticus.

Criticæ pag. 88. §. *Franciſcus Salmius*. Scripſi, Lectorem hunc noſtrum latinum Poema meditaſſe *de Re Medica*. Illico me Guarinus corripit, dicens, *Non de Re Medica*, ſed *de Anatomica*. Uſque nunc crediderам, Anatomiam ad Medicinam ſpectare cujus ſubjectum corpus humanum, prout ſanabile.

Criticæ eadem pag. 88. §. *Joannes Magrini*. Mirum narrat, & a Sæculo fortaſſe inauditum Guarinus noſter, ſcilicet Societatis Jeſu Presbyterum hunc, Ferrariæ mortuum in ejuſdem Societatis Collegio, ſepultum eſſe non in Eccleſia dicti Collegii, ut vero fuit, ſed in noſtra Cathedrali. Et hoc, pro Supplemento vis me addere Magrini Elogio? Profecto facerem, niſi exibilari timerem.

Criticæ pag. 93. §. *Gaſpar de Piſcibus*. Hunc retuli, quamvis Lector de Rotulo non ſit, ſed tantum *Licentiatus* a Congregatione ad legendum extra ordinem Mathematicam in Alma Univerſitate noſtra, quia caſus memoratu dignus viſus eſt, cum numquam me legiſſe meminerim, alium quemquam, ad legendum extra Rotulum, in Mathematicis fuiſſe *licentiatum*.

Eadem

Digitized by Google

Eadem pag. 93. §. *Hieronymus Baruffaldi*. Novum hic ſummæ devotionis, erga D. Baruffaldi ſuæ Guarinus exhibet argumentum; voluiſſet enim, quod, ejus tantum gratia, ſcripſiſſem, binas Lecturas fuiſſe conſecutum, primo, S. Scripturæ, ſecundo, Rhetoricæ, deinde hanc dimiſiſſe, *ob promotionem ad Archipresbyteratum Collegiatæ Eccleſiæ S. Baſilii Terræ Centi*; tempora, quibus hæc accidere ſingula, ad amuſſim deſignaſſem, & alia hujuſmodi, quæ Ferrarienſis Gymnaſii Hiſtoriam magis ornare, potuiſſent, ac illuſtrare, ut ſibi videtur.

Criticæ pag. 94. §. *Joſeph Ruſca*. Non ignorat fortaſſe, ſed ignorare fingit Cenſor noſter, *quænam per Ruſca Oratorio ſtylo ſcripta fuerint*; nam & eum dicentem probabiliter audivit, præſertim anno, quo Orationem habuit in Eccleſia noſtra, *della Morte*, die ſolemni Decollationis S. Joannis Baptiſtæ.

Eadem pag. 94. §. *Jacobus Agnelli*. Etiam hoc loco voluit Guarinus de *D. Baruffaldi* intimo ſuo memoriam inſtaurare, Lectorem admonendo, quod Jacobus Agnelli *ſupplevit Cathedram Rhetoricæ, a Baruffaldi derelictam*.

Eadem p. 94. §. *Bartholomæus Borſetti*. Lectoris hujus mentionem dum habet Criticus Baruffaldi ſuum intrudit, hæcque addimandat: *Succeſſit in Cathedra a Baruffaldo reſignata*. Hoc Baruffaldiano ſale Guarinus noſter omia Lectorum Elogia condiri vellet.

Eadem p. 94. §. *Joannes Ludovicus Boſchini*. De hoc etiam agens Larvatus noſter, *D. Baruffaldi* in ſcenam iterum introducit; ſcribit enim. *Advocatus iſte ſucceſſit Hieronymo Baruffaldo in elaboratione Ephemeridum Ferrarienſis Univerſitatis, libellumque unum typis dedit pro anno* 1724., ſcribere debuerat 1734. Et hic tandem ſilent laudes Baruffaldianæ.

Eadem pag. 94. §. *Joſeph. Minius Roncagallius*. Iſte fuit Lector deſcriptus in Rotulis, quapropter & de illo mentionem habere debui, quamvis nunc Romæ degat, Rerum Civitatis noſtræ ibidem diligens Procurator. Et hæc ſatis ſint, quo ad Criticam Guarinianam, in hunc Librum Hiſtoriæ meæ Tertium.

Digitized by Google

In Supplementum, & Animadverſiones ad Librum Quartum Partis Secundæ Hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii.

CRiticæ p. 104. §. *Albertus Accariſius*. Reperit Guarinus garriendi materiem, eo quia ſcripſerim, Virum hunc, omnium primum, exorſum fuiſſe Vocabularium verborum Thuſcorum, Italicorumque; dicit enim, illum ſcripſiſſe *Vocabularium*, *Grammaticum*, & *Orthographiam Vulgaris Idiomatis*. At idioma iſtud erat ne Arabicum?

Criticæ pag. 105. §. *Franciſcus Negri*. Non *Negri* ſed *del Bailo* eſt illius Cognomentum, inquit Cenſor. Opus erat, ut probaret; nam nuda ejus negatio pro nihilo habetur.

Criticæ pag. eadem 105. §. *Franciſcus Ambroſius*. Retuli quod *juvenis* Patavij deceſſit, ubi *diu* diverſatus eſt. Credit, me in ſermone cæpiſſe Guarinus, dicens: *ſi juvenis*, *quomodo diu?* Quam acutus eſt homo iſte! *Diu*, reſpective ad ejus ætatem.

Criticæ §. *Verum ut quid*. Hic tandem ſe nauſeatum adeo oſtendit Guarinus, ut in reliquis, quæ a me ſcripta ſunt corrigendis, ſupplendiſque, profiteatur, nolle ſe, *ulterius immorari*, *oleumque*, & *operam perdere*; recantatque, *provinciam hanc præcipuo*, & *peculiari Scriptori derelinquendam eſſe*, *qui Scriptorum Ferrarienſium*, *ſive Bibliothecam*, *ſive Hiſtoriam*, *ſive tandem Chronologiam conſcribere aliquando ſtatuat*. Nonne ſtatuit uſque de anno 1713. D. Baruffaldi, ut alio loco probavi? Quare igitur conqueritur Cenſor? Hinc tranſit, ad recenſendos Ferrarienſes Scriptores, quorum nomina in Gymnaſii Hiſtoria memorata non vidit. Quoniam vero non tantum de his, ſed & de cæteris, quos inter Lectores, & Scholares me referre debuiſſe Guarinus aſſeruit, agendi locus eſt, omnes omiſſos primo numerabo, indicans, quam ad Criticæ paginam quilibet prætermiſſus dicatur: Sunt itaque, ut inquit Cenſor.

Omiſſi, inter Studii Lectores.

1. Bonagratia, Præpoſitus, *Criticæ Part.* 2. *pagina* 5.
2. Franciſcus Peregrino Arioſto, *pag.* 29.
3. Florianus Cini, de Caſtro S. Petri } *pag.* 30.
4. Gaſpar Coſputius. } *pag.* 30.
5. Nicolaus Favari } *pag.* 30.
6. Bernabæus Percivaglio, *pag.* 31.
7. Julius Scotus, *ibidem*.

8. Geor-

Digitized by Google

8. Georgius Gemiſtus Pletho.
9. Thomas Herdout.
10. Hieronymus Molinus. *pag.* 32.
11. Franciſcus Caſelatus.
12. Franciſcus Butriſellius.
13. Georgius Priſcianus.
14. Petrus Bartholomæi de Saliceto.
15. Santes Viani. *pag.* 63.
16. Virgilius Nicola Accariſi.
17. Bernardus Petri Lapini.

Omiſſi inter Scholares, doctoſque Exteros Viros, qui diu Ferrariæ ſunt commorati.

18. Hieronymus Zaccari.
19. Æneas Vico. *pag.* 98.
20. Dominicus Cattalani.
21. Julius Avellino.
22. Januarius Paſchali.
23. Jo: Jacobus Paruta. *pag.* 99.
24. Angelus Grillo.
25. B. Joannes de Tauxiniano.
26. Antonius Cella.
27. Antonius Leoncillo.
28. Marcus Antonius Amati. *pag.* 100.
29. Belmontes Belmenti.
30. Bernardus Bembo.
31. Archangelus Picolomini.
32. Marcus Antonius Mambelli.
33. Carolus San-Martini.
34. Bartholomæus Ferri. *pag.* 101.
35. Joannes Zappata.
36. Joſeph Roſſi.
37. Dionyſius Sancaſſani.
38. Philippus dalla Torre.
39. Carolus Doni. *pag.* 102.
40. Dominicus Marchioni.
41. Joannes Fontana.

Omiſſi inter Ferrarienſes Scriptores.

42. Hieronymus Criſpi, *pag.* 107.

Digitized by Google

43. Bonaventura Barberini, *pag.* 109.
44. Andreas Bertoni.
45. Albertus Penna. } *pag.* 110.
46. Cajetanus Mazzolini.
47. Nicolaus Baruffaldi.
48. Julius Negri. *pag.* 111.
49. Angelus Maria Peverati.
50. Antonius Franciſcus Bellati.
51. Franciſcus Scroffa.
52. Joſeph Renatus. *pag.* 112.
53. Laurentius Stramuſoli.
54. Ludovicus Lancius.
55. Hippolitus Zannelli.
56. Hieronymus Martelli.
57. Franciſcus Sangermani. *pag.* 113.
58. Carolus Briſighelli.
59. Julius Canano.
60. Blaſius Albertini.
61. Joannes Andreas Barotti. *pag.* 114.
62. Jo. Melchiades Beccari.
63. Cajetanus Santomæi.
64. Albertus Valliſnieri. } *pag.* 115.

Sed videamus, Guarine an de omnibus his ſexaginta, & quattuor Viris tacuerim, & utrum vera ſint, quæ de illis ſcripſiſti.

Dico igitur primo, quod deleas ab hoc aſſertorum omiſſorum Catalogo Franciſcum Peregrino Arioſto, & Thomam Herdout, quia illius Elogium dedi inter Ferrarienſes Scriptores (Lector enim non fuit) *Hiſtor. meæ Part.* 2. *pag.* 318., hujus verò ; qui nec ipſe fuit Lector, *pag.* 294. Delendi pariter Nicolaus Favari, Bernabæus Percivaglio, Georgius Gemiſtus Pletho, Hieroymus Molino, Franciſcus Caſellati, Franciſcus Butriſelli, Georgius Priſciani, Petrus Bartholomæi de Saliceto, Santes Viani, Virgilius Nicola Accariſi, & Bernardus Petri Lapini, nam ultraquam quod non probas, eos vere in Gymnaſio noſtro Lectores fuiſſe, ego abſolutiſſime fuiſſe nego, negaremque etiam adverſus quaſcumque probationes, ſi haberes, nihil enim valerent contra Rotulos, quos habemus ab anno 1473. ſucceſſive uſque in præſens, cum in eorum nullo deſcripti ſint. Julii Scoti nomen item expungendum, quia quæ de illo ſcribis nihil aliud probant, niſi illum in Patavina Univerſitate fuiſſe ſcholarem.

In

In ſecunda Omiſſorum claſſe, qui ſequuntur ponendi non ſunt; eorum enim Elogia ſcripſi; ſcilicet B. Joannis de Tauxiniano *Hiſtor. Gymnaſ. Part.* 1. *pag.* 52., Antonii Leoncillo, *Part.* 2. *pag.* 296. Marci Antonii Amati *pag.* 281. Belmontis Belmonti *pag.* 284. Archangeli Picolomini *pag.* 389., Marci Antonii Mambelli *pag.* 299., & Bartolomæi Ferri *pag.* 360. Expungendi ſunt pariter Hieronymus Zaccari, nam quæ de ipſo ſcribis, non probant, nec ad modicum tempus, nec eum diu moram Ferrariæ traxiſſe, & duo Juriſconſulti, qui citato ejus Conſilio ſubſcripſere, Lugienſes ſunt; Ænea Vico, nullum enim das teſtem ejus diuturnæ inter nos moræ; Antonius Cella Societatis Jeſu Clericus, per accidens Ferrariæ Pueris inſtituendis ad modicum tempus vacavit; Carolus San-Martini, & Carolus Doni fuerunt tantum Em. rum Ferrariæ Legatorum Aulici, Joſeph Roſſi, Julius Avellino Pictor, & Januarius Paſcali ex Intrepidorum Academia non injuria præteriti; ſi enim Academicos omnes recenſere debuiſſem, novam Tibi præbuiſſem exclamandi cauſam, quod ad Gymnaſii Hiſtoriam non pertinerent.

Tandem inter Omiſſos, tertiæ Claſſis numerandus minime eſt Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Bonaventura Barberini ex Venerabili Capuccinorum Inſtituto, nunc Archiepiſcopus Ferrariæ meritiſſimus. Hujus etiam mentionem, Guarine, aſſeris, a me prætermiſſam? Ille ne ego, *qui mentior*? tu ne *Sapiens*, *cujus eſt manifeſtare mentientem*? Quomodo falſum te dixiſſe, inficiari poteris? Lege Hiſtoriæ meæ Partem 2., & ad *pag.* 377., ſub Elogio Joſeph Mariæ Muzzarelli ejuſdem Sacri Ordinis Viri, videbis, me dicti doctiſſimi, ac eloquentiſſimi Patris noſtri, cum laude, quæ tamen ſummis longe impar meritis, mentionem feciſſe; percipieſque etiam, te ejuſdem laudibus detraxiſſe potius, cum ſcripſeris, inter cætera, fuiſſe illum Ordinis ſui *Generalem Vicarium*, cum re vera fuerit, ut retuli, *Præpoſitus Generalis*. Erubeſce tandem aliquando, in me falſa hujuſmodi comminiſci, ut apud Dominos meos, ac Principes Viros in invidiam adducas; & diſce aliorum Opera attente perlegere, antequam de illis quidquam abſolute pronuncies.

Negligentiæ tuæ imputes etiam, quod in hanc Claſſem non memoratorum, ſequentes alios introduxeris, quorum in Hiſtoria mea locis indicandis Elogia pariter edidi, nempe Antonii Franciſci Bellati *Part.* 1. *pag.* 202., Andreæ Bertoni *Pater.* 2. *pag.* 337. Alberti Penna *pag.* 427. Cajetani Mazzolini, quem per errorem Joſeph appellavi *pag.* 379., & 414. Julii Negri *pag.* 382., Angeli Mariæ Peverati

pag-

Digitized by Google

pag. 392., Laurentii Stramuſoli *pag.* 311. Ludovici Lanzi *pag.* 414. Hippolyti Zannelli *pag.* 271., Hieronymi Martelli *pag.* 414., Joannis Andreæ Barotti *pag.* 258. 259. 375., *& alibi*, Antonii Melchiadis Beccari *pag.* 328., & Alberti Mariæ Valliſnieri, ſeu de Valliſnera, qui Lector publicus in Gymnaſio noſtro fuit *pag.* 92. Neque inter Omiſſos recenſeri debent Fr. Joſeph Renatus Imperiali, quia illius Opus, cui titulus *Travagli della Chieſa* in lucem prodire cœpit, poſt Hiſtoriæ meæ editionem, & Nicolaus Baruffaldi, ac Carolus Briſighella, quos, præter te nullus inter Hiſtoriarum Scriptores eſſe collocandos indicabit.

Nec fortaſſe diceres, Viris ſexaginta quattuor ſupra enumeratis; quos me prætermiſiſſe ſcripſiſti, addendos eſſe Scholares omnes Antonii Muſæ Braſavola *Criticæ tuæ Part.* 2. *pag.* 97. ex Præfatione Ludovici Bonaccioli ad Galeni Indicem recitatos; nam ego pariter ex Bonaccioli, & Braſavola a te citatis eorum omnium notitiam habueram, & quotquot ex ipſis memoratu digni mihi viſi ſunt, inter Studii Lectores, Scholares, Ferrarienſeſque Scriptores reſpective retuli, ut videre poteris, ſi tandem aliquando Hiſtoriam meam perlegere, ſed accurate non neglexeris.

Ex his igitur ad evidentiam patet, Omiſſorum nũmerum, ſuper quo inclamas, objurgas, territas, minitaris, excandeſcis, omnia denique perturbas, ad viginti non aſcendere. Tibi propterea in hoc multum me debere fateor, quod ſummam diligentiam meam, in inveſtigandis Viris, ſive ad Gymnaſium noſtrum, ſive ad Univerſam Litteratorum noſtrorum Rempublicam pertinentibus, vel invitus comprobaveris; cum hos pauciſſimos dumtaxat, nec omnes quidem commemorandos a me prætermiſſos repereris, quamvis tot monumenta, & Manuſcripta, præſertim *quæ apud te ſunt*, critica indagatione conſulueris.

Reliquum eſt, ut quod in Proœmialibus ſpoponderam, pauca ſubjiciam, circa vitia latini ſermonis tui, nam ſi omnia eſſent expendenda *ad libellam*, nulla fere linea in Critica tua, quæ caſtigatione non indigeret, ut eruditus Lector agnoſcet: amanter moneo, ut ab his, ſimilibuſque in poſterum cavere poſſis. Hac igitur de re, quod poſtremo loco reſervavi, ſit

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM, ET ULTIMUM.

De nonnullis Sermonis Latini vitiis, quæ in Supplemento, & Animadverſionibus Jacobi Guarini reperiuntur.

UT primum legi, Guarine mi, Supplementa, & Animadverſiones tuas peſſime adeo conſcriptas, ut ſequiorum Sæculorum barbariem in ætatem noſtram invexiſſe videantur, meum latine ſcribendi modulum cum tuo conferens, animo erectus ſum, ac ferme in ſuperbiam elatus, teque, ut M. Tullius Cicero alter, humi repentem hominem deſpectabam. Re tamen maturius perpenſa, ſtatim ad cor redii, omnes vanitatis ſenſus exui, agnovi tenuitatem meam, ptandemque percepi, minimarum etiam virium eſſe, te vincere, nullamque Victori, ex triumpho hujuſmodi, gloriam comparari. At nonnullas ex ſententiis, & elegantiis tuis deguſtemus. Quæ indicabo, a te non ſunt correcta; nec objiciam infinita propemodum Orthographiæ vitia, quia de his minimis, in tanta turpiorum errorum meſſe, rationem habere neglexi. Sunt itaque

CRITICÆ PARTE PRIMA.

PAg. 3. Quæ ante te acciderunt *adhibebo*: pro *ſupplebo*. Ferrantes *prælibatiſſime*. *Prælibo* ſignificat *ante libare*, & *deguſtare*.

Pag. 4. Inveſtigationes *ætate diſtantes*, ideſt *rerum antiquarum*.

Eminere ad numerum lyra: pro *egregie pulſare lyram*.

Adeo ut facile ſe offerre poterant.

Omni Ferrarienſi doctrina. Quænam doctrina iſta Ferrarienſium particularis?

Pag. 5. *Lippitudine laborare*: pro *hebetioris viſus eſſe*.

Pag. 6. Per Italiæ *ora*, & ultra montes. *Ora*, *Spiaggia*, in accuſativo plurali habet *Oras*, non *Ora*.

Syrma: pro *titulo*.

Pag. 8. *Ad libellam* veritatis.

Recordati Baruffaldi: pro *memorati*.

Pag. 9. *Libro* typis *impreſſi*.

Pag. 10. *Rationes* dubitandi in apertum *proferri poſſet*.

Pag. 11. *Subintrat aliud marmor*.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 12. *Encomia deſumptæ* afferuntur.

Pag. 14. *Si Statuta perhibent*, & condita *ſint*. Magna particulæ *Si*, licentia, quæ uno Verbo in Indicativo retento, aliud ad Subjunctivum relegat.

Pag. 23. Narratio dormitionis Beati Joannis de Tuſignano *voluptuoſa*.

Pag. 24. *Devenire publici juris*.

Pag. 25. *Philacteria*: pro *longa narratione*.

Pag. 26. Nemo illorum recte *divinatur*.

Pag. 28. Martyribus honor iſte non denegatur, *ſed Rebellibus*, *valdè dubitandum*.

Statutam compegiſſet, abſque eo quod lectionem continuatam Operis *illa deformaſſet*.

Pag. 30. Non bene *divinatur* Author.

Juxta valorem diuturnum Mercatorum. Dicendum eſt, tunc temporis non Merces tantum, ſed Mercatores ipſos in commercio fuiſſe.

Pag. 31., & 32. *Chartæ* incomptæ *accomodata*, & *repoſita*.

Pag. 33. *Omiſſis plaſmata*. Et notandum, quod in Indice Erratorum, *p.* 149. mutaſti *plaſmata* in *ſphalmata*, ſed verbum *omiſſis* non correxiſti.

Pag. 35. Liber Tertius amplificavit ſuperiores Libros. Mirum profecto!

Pag. 36. *Cantaverat Vates* Calcagninus, Areoſtus, & Balbus. Hi tres Vates ſunt; quis ille, qui cantaverat?

Pag. 37. *Cui* poſtulatum: pro *a qua*.

Pag. 38. *Profert:* pro *offert*, *exhibet*.

Evadere extra argumentum: pro *diſcedere ab argumento*.

Pag. 39. *Liniſtæ:* pro *laniſtæ*.

Pag. 40. Si hæc non eſt diverſio, neque erit illa proverbialis dictio &c.

Pag. 45. *Venit obulum unum*.

Pag. 46. Remanebat, *ut quod* adnecteret.

Pag. 47. Ephemerides *proſequutæ* ſunt: pro *productæ*. Et nota illud *proſequutæ*.

Sub ſilentio præterire.

Proto-archiepiſcopum. *Proto*, & *archi* hic conjuncta ſignificant Archiepiſcopum Archiepiſcoporum.

Tota annorum *Hiſtoria invenirentur*.

Pag. 48. *Pertractare*: pro *tractare*.

Pag. 50. Illorum munus decretum fuit, ut impoſterum legerent.

Pro-

Digitized by Google

Protomedicus, dum *Protomedici* munere fungeretur.

Pag. 51. Primus qui examini ſe *ſubjiceret*, & Laurea Doctorali ornatus *extiterit*.

Pag. 53. In *ejuſdem* Scholis. Cujus nam?
II. Novembris *in mane*.

Pag. 54. Quindecim Profeſſores (Studii Lectores ſcilicet) *inſperata morte* enecati ſunt. *Inſperatam* te dixiſſe arbitror, reſpectu eorum, qui ad Mortuorum Cathedras aſſumpti ſunt.

CRITICÆ PARTE SECUNDA.

PAg. 3. Infinita *extravagantia* parandi.
In mentem habuit. *In mente* uſitatius.

Pag. 4. *Infarcire Bullam* Erectionis Ferrarienſis Eccleſiæ.
Ne fortuito nos loqui *dicatur*.
Hiſtoria Gymnaſtica: pro *Hiſtoria Gymnaſii Ferrariæ*, & hoc 31. vicibus repetitum.
Ut ex his perfecta Hiſtoria *nanciſcatur*.
Libros, fateor, *qua de cauſa elucubratos* me ignorare.

Pag. 6. Cujus *verba* ſic *effantur*.

Pag. 14. *Inter vivos enumerabatur*, *quando ſcripſit &c.* Niſi, Guarine, admonuiſſes, credidiſſet Lector, hunc, de quo ſermo, ſcripſiſſe, poſtquam mortuus eſt.

Pag. 16. *Opere inſcriptum*.

Pag. 17. *Annus mortualis*: pro *emortuali*. *Mortualia*, *lium* ſunt, quæ ad Mortuum ſpectant; *Emortualis* eſt terminus adjectivus ad tempus mortis alicujus.

Pag. 21. *Ad illas ſervanda*.

Pag. 23. *Procedere moribus*: pro *prodeſſe*, *conferre moribus*.

Pag. 26. Dies *mortualis* Mainardo.

Pag. 30. Nec non *Cirugiæ*.
Miſſa fecit: pro *miſit*.

Pag. 31. *Quandoquidem*: pro *quandoque*.

Pag. 36. *Compræhenduntur*: Et alias alibi.
Suppoſita ad Cœnotaphium: pro *poſita ſupra* Cœnotaphium; quod a te explicatur *Criticæ pag.*10., ubi; *Huic Elogio ſupereminet &c.*

Pag. 42. Dies *mortualis*. Et aliis pluribus in locis.

Pag. 44. *Quemdam Avem*.

Pag. 46. *Poteſtas* Argentæ: pro *Prætor*.

L *Pag.*

Digitized by Google

Pag. 52. *Superioribus antecedentibus* annis.
Renatus, *natus*, *denatus*. Argute!
Scriptoribus Liguris.

Pag. 53. *Deſertionem a Patria*: pro receſſu a Patria.
Ob *ſuſpicionem* hæreſis, quamvis conſtet ejus *reſcipiſcentia*. Heus, Guarine; *ſuſpicio* cadere etiam poteſt in innocentem, *reſcipiſcentia* denotat, vere delictum præceſſiſſe.

Pag. 55. Typis *edita ſunt*. *Servatur &c.*

Pag. 56. Eodem pacto, quo de Joſepho &c., ita ſe habere debuit, circa;

Pag. 57. De tanti Viri juſta defenſione.
Nihil defuturum ſtudebit, quod Guarini gloriæ *non* reſpondeat. Vis affirmare, & negas?

Pag. 61. Ubi de adventu ſuo Ferrariam ait.

Pag. 62. Oculis Lectorum picturam reportare.

Pag. 63. Sub annis 1500.

Pag. 65. Ex Græco in Latinum, *vulgarem Italicum*.
Legum *Studio incubuiſſe*. Et alias, aliis Criticæ in locis, *incumbo* ſemper a te cum dativo uſurpatum. *Incumbere ad Studium*, *Studio operam dare.*

Pag. 70. *Stirpis* in nominativo: pro *Stirps*.

Pag. 73. *Sæpius recordato*: pro *memorato*.

Pag. 76. *Cum neque* illius ordo, ſeu gradus *ignoretur*. Vis negare, & affirmas.

Pag 77. A *Pontremulo*: pro *ab Apua*. Et hoc acceptum habeas, velim, in compenſationem mei: *Foſſambrunenſis*.

Pag. 78. Bernius ſeptem *identidem* Uxores habuit.
Opuſculum, optima ratione gubernandi præditum.

Pag. 80. *Verus decus*, & *ornamentum*.

Pag. 81. In Eccleſia &c. tumulatus *extitit*.

Pag. 85. Librum petenti aperibilem.

Pag. 86. Laudum *penuriam proveniret*.
Perſolutæ illi ſolemnes *exequiæ*, & *Orationis*.

Pag. 88. In ſacello ſuo *apud Eccleſiam* S. Mariæ in Vado. Immo, in Eccleſia ipſa.

Pag. 94. Mathematicam *caluit*. *Caleo*, *eſſer caldo*. *Calleo*, *ſapere*.

Pag. 95. Eſſe in animo, *vindicandi*.

Pag. 97. Quæ mihi *ſuppetuntur* afferam. *Suppetit*, *hat* verbum impersonale.

Pag. 99. In Monaſterio Pompoſiano S. Benedicti Ferrariæ: Sunt duo Monaſteria diverſa Pompoſianum, & Ferrarienſe.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 101. Anno *initio Sæculi* 1700. Annus 1700. eſt finis Sæculi decimi ſeptimi, non initium decimi octavi.

Pag. 102. *Dum* Ferrariæ *degebat*, gentemque ſuam *traduceret*. Dum hoc Verbo *traduco* injuriam facit, illud damnans ad Subjunctivum, verbum *Dego* in Indicativo retinens.

Philippus Forojulienſi.

Pag. 207. *Recordatio*: pro *memoria*.

Horum *nonnulli* recordatio: pro *nonnullorum ex his*.

Appoſite: pro *a bello Studio*.

Pag. eadem 107. *Convertebat*, donec ultimum *clauſerit* diem.

Adjudicari: pro *judicari*.

Majoris momenti *conſiderandi veniunt*.

Pag. 111. *Supra nonagenarius*.

Pag. 112. Romæ Studia *perpenſus*.

Titulus Libri Fr. Joſeph Renati eſt: *Dei Travagli della Chieſa*: non *Delle Perſecuzioni &c.* ut male ſcripſiſti: Et in hoc tibi vices reddo, pro titulo Operis Lilii Gregorii Giraldi *De Diis Gentium* a me immutato in titulum *De Natura Deorum*.

Pag. 113. Carmina *muſicalia*.

Adeo picturæ Studium *deperibat*, *ut* ſermonem *habebat*.

Pag. 114. *Clericato* dimiſſo.

Quidquid mens illi *ſuppetebat*. *Suppetit*, *bat*, verbum imperſonale eſt.

Scripſit. *Panegiricus*.

Pag. 115. Maximam ſui ſpem *dereliquens*.

Nihil inſerta habeatur. Cernitur hoc loco, Guarine, quam ex corde me laudes; nimius enim tui in me amor te excæcavit adeò, ut in breviſſimam periodum ſolæciſmum introduxeris.

Pag. 116. *Statera* indulgeat oculorum meorum *lippitudini*.

Pag. 118. Vindica, *erumpunt*: pro *exclamant*.

Lyrædi: pro *pulſatores lyræ*.

Laude jejuni: pro *laudis jejuni*.

Pag. 119. Non ultra *progrediendi juravi*.

Pag. 121. Deceſſit menſe Septembris, more Florentino.

Iſti duo *recordantur*. Ugo *recordatur*. *Recordatur* item.

Pag. 127. Capillitio *Græcitatem* præſeferente. *Græcitas* ſermonem Græcum præcipuè ſignificat.

Pag. 129. *Birreto* capiti impoſito.

Pag. eadem 129. *Carbo* enim (quis neſcit) *niger eſt*: *nix* verò *candidiſſima*. Eruditio peregrina! Et reliqua.

Digitized by Google

Et hæc ſunt, Guarine *optime*, *cariſſime*, *ſpectatiſſime*, *ſuaviſſime*, *proto-archipralibatiſſime*, quæ adverſus Supplementum, & Animadverſiones tuas, in Ferrarienſis Gymnaſii Hiſtoriam quinque annorum impendio conſarcinatas, duorum dumtaxat menſium labore, eoque variis occupationibus interrupto, ad mei defenſionem feſtinanter ſcribere, ſatis duxi, nugis, aliiſque id genus neglectis, quibus in diluendis ſi tempus terrerem, ridiculus haud injuria videri poſſem. Si quid durius, acerbiusve dictum offenderis, nemini dictum puta; nullum enim certum hominem alloquor, ſed ignotum, ac perſonatum. Cæterum amice moneo, ut, ſi Liberculo huic meo reſpondere velis, non latine, ſed italice ſcribas, ita enim te Lectori riſu minus dignum fortaſſe exhibebis. Rogo etiam, atque obteſtor, ne faciem tuam abſcondere in poſterum verearis; quod ſi adhuc diſſimulare pergas, & latinam linguam, ſcribendo, uſurpare ſtatueris, ſaltem aliud tibi Cognomentum indas, illoque in poſterum celeberrimæ Guarini Familiæ uti verearis, in qua tot Viri latiniſſimi, & de latino ſermone optime meriti floruere. Quiſquis ſub mentito Guarino lates, Vale.

Typograpbi Errata notabiliora, ſic Corrige benigne Lector.

PAg. IV. lin. 3. eccuſati Accuſati - V. 25. *ſollecitare ſolleticare* - VII. 4. ſalvi ſalva - VIII. 7. *ſententias ſcientias* - IX. 6. Eraſmos Eraſmum - X. 13. completura completum - XIII. 1. abiecit objecit - XVI. 3. verſus verus - ib. 7. Ferrantitmis Ferrantis - ib. 37 deſiderabuntur deſiderabantur - XVII. 13. ſi-qui ſi-quid - XX. 4. infinitam infinitum - XXII. 1. *mente mentem* - XLIII. 11. illoco illico - LV. 6. Elegio Elogio - LVII. 13. None Nonne - ib. 28. Elogiam Elegiam LXIII. 4. *Magiſtri Magiſtri* - LXXIII. 20. addimandat addi mandat,

NOI

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. Fra Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore di Venezia nel Libro intitolato: *Ferrantis Borſetti, Ferranti Bolani adverſus Supplementum, & Animadverſiones Jacobi Guarini Critici Perſonati in Hiſtoriam Almi Ferrarienſis Gymnaſii, Defenſio*; non v' eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contra' Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a Simone Occhi Stampatore di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. li 4. Luglio 1742.

(Alviſe Mocenigo Proc. Ref.
(
(Daniel Bragadin Cav. Proc. Ref.

Regiſtrato in Libro a carte 43.

Agoſtino Bianchi Segr.

31. Luglio 1742.

Annot., e Regiſtr. nel Mag. Eccell. della Beſtem.

Franceſco Agazzi M. della Beſtem.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PERFEZIONATA FABBRICA
DI REGISTRI E COPIALETTERE
TIPO-LITOGRAFIA
TORINO VIA CARLO ALBERTO 18

Digitized by Google